


Helm, Carolus
De Luciani scholiorum
fontibus



*3. E. Perry
12. Oct. 1924*

DE LUCIANI SCHOLIORUM
FONTIBUS.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate amplissimi philosophorum
in academia Philippina Marpurgensi ordinis ad
summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

CAROLUS HELM
Niedergirmesiensis Borussus.

Marpurgi Cattorum
MCMVIII.

DE LUCIANI SCHOLIORUM
FONTIBUS.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate amplissimi philosophorum
in academia Philippina Marpurgensi ordinis ad
summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

CAROLUS HELM
Niedergirmesiensis Borussus.

Marpurgi Cattorum
MCMVIII.

Dissertatio referente Ernesto Maass P. P. O. ab amplissimo philosophorum
ordine probata die 14. mensis Dezembris anni MCMVII.



PA
4228
H22

Patri carissimo.

Scholia Luciana cum non ita copiosa sint, H. Rabe in scholiorum editionis praefatione (p. VI) magna ex parte perisse suspicatus est. Quae exstant digna videntur, quae accuratius, quibus ex fontibus hausta sint, examinentur. Magna pars homini non ignoto debetur, Arethae¹⁾ archiepiscopo Caesareensi. Maxime Maassii laus est Arethae „viri pro aetatis ratione haud mediocriter sollertis et eruditi“ magna de litteris Graecis merita illustrasse. Qui non solum Lucianum adnotationibus instruxit, sed etiam aliis scriptoribus Graecis operam dedicavit eorumque libros in bibliotheca sua servavit, velut Platonis codicem Clarkianum, Dionem Chrysostomum, Aristidem rhetorem, alios. Quos quidem scriptores Aretham nosse demonstratum est, sed eum etiam aliorum scriptorum libros legisse et relegisse ex adnotationibus, quas libris adscripsit, conicere licet, velut Homerum, Herodotum, Thucydidem, Callimachum, Pausaniam alios. Haud parvam ille operam etiam Luciano dedit videturque ex diuturna oblivione primus hunc resuscitasse scriptorem (Maass l. c. p. 763). Sex locis Arethae nomen in scholiis servatum est. Codex E (Harleianus 5694) a. 914 a Baane in usum archiepiscopi illius scriptus est, scholia ab Aretha. Praeterea maxime codd. B (Vind. 123), C (Coisl. 345), R (Palat. 73) Arethae scholiis referti sunt. Attamen scholia Arethae uni non debentur neque archiepiscopus ille scholia, quae adscripsit, suo ingenio excogitavit, sed e scriptoribus antiquis

¹⁾ E. Maass, 'Observationes palaeographicae'. Mélanges Graux p. 749—766. Conferas praeterea: A. Harnack, Texte u. Unters. z. Gesch. d. altchristl. Lit. ed. O. v. Gebhardt u. A. Harnack I; Leipzig 1882, p. 36—46. Jülicher, Pauly-Wissowae Realencycl. s. v. No. 9.

et enchiridiis magna ex parte compilavit. Omnino scholia non ab uno viro docto confecta, sed diversis ab hominibus diversisque temporibus orta esse facile apertum est. Ipsa nomina nonnullorum virorum Byzantinorum, qui occupati fuerunt in scholiis Lucianeis, novimus: velut Basilii Adadon (cf. schol. Conv. 34; p. 34, 4 *σχόλιον Βασιλείου Ἀδαδῶν*, schol. Catapl. 14; p. 48, 2, schol. Catapl. 24; p. 51, 22, schol. Icarom. 4; p. 100, 12), Alexandri, episcopi Nicaeae, Iacobi, metropolitae Larissae (cf. schol. Ver. hist. I, p. 21, 6 subscript.: *διώρθωσα ἐγὼ Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Νικαίας τῆς κατὰ Βιζυτιανῶν μετὰ Ἰακώβου τοῦ ἱε τοῦ ἀδελφοῦ καὶ μητροπολίτου Λαρίσσης*¹⁾); similia schol. Ver. hist. II, 47; p. 25, 1, schol. Tim. 58; p. 119, 17, schol. Adv. ind. 30; p. 154, 15, schol. Hermot. 8; p. 247, 19), Theodori diaconi (cf. schol. Calumn. non cred. 32; p. 28, 7 subscript.: *διώρθωσα ἐγὼ Ἀλέξανδρος μετὰ Θεοδώρου διακόνου τοῦ ἡμῖν ὑπερετόντος* et similiter schol. Iud. voc. 12; p. 29, 4), Iohannis affinis Alexandri, cf. schol. Somn. 18; p. 155, 5 subscript.: *διώρθωσα ἐγὼ Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Νικαίας τῆς πρὸς τῇ Ἀσκηνίᾳ μετὰ Ἰωάννου τοῦ ἐπὶ τῇ ἀδελφῇ κηδεστοῦ*.

De scholiis conferenda sunt, quae H. Rabe disseruit in Actis Regiae Societatis Litt. Gott. a. 1902: „Die Überlieferung der Lucianscholien“ et ibidem a. 1903: „Die Lucianstudien des Arethas.“ Quae summatim repetivit in praefatione editionis p. III—IX. Usus sum editione H. Rabii: Scholia in Lucianum Lipsiae 1906, in cuius editionis apparatu critico nonnulla, quae ab aliis scriptoribus traduntur, vel in lexicis exstant similia iis, quae dialogis Luciani ascripta sunt, adnotata invenies.

Disputationem ita instituemus, ut priore in parte de fontibus glossarum, quae grammatici sunt argumenti, in altera de materia mythographica, historica, geographica agamus.

¹⁾ Quae cancellis saepta sunt in codice evanuerunt et a Rabio addita sunt.

De nonnullis scholiis amplioribus iam a viris doctis disputatum est. De scholiis ad dialog. meretr. II, 1; p. 275, 23—p. 276, 28 et ad dialog. meretr. VII, 4; p. 279, 24—p. 281, 3, in quibus de Thesmophoriis et Halois agitur, E. Rohde in Mus. Rhen. 25 p. 548—560 uberius disseruit. Quae scholia ad certum fontem reduci non posse v. d. concedit¹⁾.

Duobus locis scholiasta Stobaei florilegium atque epistulam quidem Didymeam de Stoicorum placitis ethicis expilavit: schol. Vit. auct. 21; p. 127, 10 ~ Stob. ecl. II, 80, 16. W. et schol. Bis acc. 22; p. 140, 15 ~ Stob. II, 69. W. etc.; quos locos invenis in adn. crit. editionis. Quod Wachsmuth²⁾ de his excerptis iudicat ipsius verbis proferam (praef. p. 23): „Nonne vides, quomodo homo Byzantinus se torserit in explicandis Stoicis terminis, quos prorsus non intellexeret — ac talia Didymum tradidisse ut credamus serio quis postulet“ . . . p. 24: „Sed taedet enarrare commenta hominis, qui philosophiam ne primis quidem labris attigisse videatur . . . Usurpavit igitur scholiasta exemplum Stobaei — si minima quaedam exceperis, quae hic illic paullo emendatiora in ea fuisse credi potest, quamquam nequit demonstrari — prorsus nostris simile, sed addidit, quae ad rectius intellegendas definitiones ipsi utilia visa sunt, exempla potissimum, aut futilia, aut prorsus inepta.“

¹⁾ Dicit hoc de fonte p. 553 adn. 1: „Unser Scholiast verdankt seine Kenntnis wohl ohne Frage irgend einem Handbuch gottesdienstlicher Altertümer, oder wahrscheinlicher noch einem grösseren Glossar.“

²⁾ Meineke adn. ad Stob. p. CLXIII. scholiastam usum esse codice pleniore existimabat („qui dubitari non potest, quin sua ex antiquo fonte vel e pleniore Stobaeo quam nunc habemus derivaverit“), quocum fecit Heine, annal. phil. 1869, p. 626.

Caput I.

De glossis grammaticis.

1. De Hesychio.

Lucianum in dialogis multas voces verborumque con-
formationes a ceteris Atticis scriptoribus alienas adhibuisse
nota res est. Qua de causa etiam in scholiis permultas
glossas inesse, quibus singulae Luciani voces definiuntur
et explanantur consentaneum est.

Multas explicationes congruere cum Hesychio in-
venimus, ita tamen, ut perpaucae tantum ad verbum con-
spirent, velut:

schol. Prometh. 18; p. 97, 19. Hes.
μέτεριμι] μετελεύσομαι. μέτεριμι: μετελεύσομαι.

schol. Lexiph. 4; p. 195, 22. Hes.
διερόν τὸ δίγρον. ὅ, κἄν μὴ λέγω- διερούς: διύγρους.
μην, δῆλον.

schol. Dialog. mort. XX. 11; Hes.
p. 262, 3.
δεδηγόμενος] πεπορθγμένος. δεδήωται: πεπόρθηται.

Lex. Bachm. δεδηγόμενος: πεπορθγμένος (cf. p. 27).

Aliis in glossis Hesychius locupletior est velut:

schol. Iov. trag. 15; p. 63, 1. Hes.
ἔρμάτων] ὑφάλων πετρῶν. ἔρματα: περιφράγματα. ὑπερείσματα,
ἐνώτια, ἀπὸ τοῦ εἶρεσθαι, καὶ ὕφαλοι
πέτραι.

schol. Catapl. 26; p. 51, 1.

ἄλλως] μάτην, ὡς ἔτυχεν.

Hes.

ἄλλως: ματαίως, ὡς ἔτυχεν, ἢ ἄλλοίως ἢ μάτην.

schol. Iov. trag. 41; p. 75, 23.

ποδῆρησις] τὰ μέγρι τῶν ποδῶν ἐλκόμενα ἱμάτια.

Hes.

ποδῆρησις: ἢ ναῦς, ἢ τοῖς ποσίν ἐρεσομένη, ταῖς κόπαις. ἤτοι πολύπους· ἢ μέγρι τῶν ποδῶν ἱμάτια.

Ea mutuatur scholiasta verba ab Hesychio, quae apta erant ad explicandos locos Lucianeos.

Interdum observamus in scholiis substantivum explicari, cum in Hesychio verbum exstet, vel invicem. Legimus e. g.

schol. Catapl. 5; p. 43, 30.

ὀλιγορῖα] ῥαθυμίαν.

Hes.

ὀλιγορῖαι: ῥαθυμίῃ, ἀμελεῖ.

schol. Catapl. 1; p. 42, 1.

ἐμπεπολήκαμεν] ἐκερδάναμεν.

Hes.

ἐμπολή: κέρδος ἢ τὴν ἀργυρέην ἀλλαγήν.

Omnia haec scholia in solo hodie Hesychio inveniuntur, alia etiam aliis in lexicis (Photio, Suida, Et. Magno) exstant, velut:

schol. Catapl. 4; p. 43, 27.

συνείς] νοήσας.

Hes.

συνείμι: νοῶ.

Phot.

συνείμι: συνιῶ, νοῶ.

schol. Icarom. 16; p. 104, 15.

τερπωλήν] τέρψιν.

Hes.

τερπωλή: τέρψις

Suid.

τερπωλήν: τέρψιν.

Suidam omnino non in usum vocatum esse a scholiastis postea videbimus. Observamus eas glossas, quae cum Hesychio conspirant, omnes fere in codice Γ (codice ceteris vetustiore) legi, cum nulla glossa amplior cum Photio congruens hoc in codice inveniatur. Itaque si explicationes breves codicis Γ etiam in Photio vel Suida nobis occurrunt, eas Hesychio attribuendas esse verisimillimum est.

Aliquanto accuratius inquirendum est in nonnullas glossas, ubi scholia plura habent quam Hesychius. Scholiastae

ipsius additamenta ea esse facile cognoscis, quae scholia plura exhibent his in glossis: schol. Lexiph. 2; p. 191, 7: σκληγγίδα] σκληγγίς ἢ ξύστρα, ἔστικε δὲ τὸ κτένιον οὕτω καλεῖν. Hesych.: σκληγγίς: ξύστρα, vel schol. Iov. trag. 27; p. 68, 1: γέλωτα ὀφλισκάνει] γέλωτα χρεωστῆι, ἀντὶ τοῦ γελᾶται. Hesych.: ὀφλισκάνοντες: χρεωστοῦντες, ὑπομένοντες, vel schol. Iov. conf. 13; p. 56, 19. ἄλοκα] τὴν αὐλοκα, ὃ ἐστὶν ἀροτρευθεῖσαν γῆν. λέγει δὲ τὴν γυνᾶκα, etsi de hac glossa dubitari potest. Alio ex fonte et ab alio scholiasta alteram explicationem adiunctam esse opinor in schol. Gall. 9; p. 90, 1 ἠπιάλων] ῥίγος πρὸ πυρετοῦ add Δ: ἢ ῥίγος συνημμένον πυρετοῦ. cf. Hesych. ἠπιάλος: ῥίγος πρὸ πυρετοῦ, ἐκαλοῦντο δὲ οὕτω καὶ οἱ ψυχροί. et alteram glossam ἠπιάλων: ῥιγῶν· τὰ γὰρ πρὸ τοῦ πυρετοῦ ῥίγος ἠπιάλων φασιν.

Attamen sunt etiam scholia, in quibus hoc modo res explicari non possit. Cum scholiastae glossas paullo ampliores ante oculos fuisse statuendum sit, proximum est conicere scholiastam codice quodam meliore usum esse; quarendum tamen est, num omnino Hesychius ipse adhibitus sit; nam cogitari potest non Hesychium, sed fontem eius potissimum Diogenianum usurpatum esse. Hac in re diiudicanda magni momenti sunt primum duo scholia, quae afferre liceat.

In scholio Iov. trag. 2; p. 58, 14 σάτυρον] tres glossae Hesychii contractae sunt.

Schol.

Hes.

- | | |
|---|--|
| <p>σάτυρον] δασείαν ἢ καταφερῆ Δωρικῶς.
καὶ σάτυρον πῶς τις συνεργός πρὸς
τὰς ἀφροδισίας ἀφορμάς, καὶ ξυῶν
τι τετραπόου λιμναῖον, καὶ
σάτυρος ἦτοι [ἢ] χορευτής¹⁾ ἢ ἔντασις.</p> | <p>1. σάτυρον: καταφερῆ.
2. σάτυρον: πῶς τις συνεργός πρὸς
ἀφροδισίας ὀρμάς καὶ ξυῶν
τετραπόου ἢ λιμναῖον.
3. σάτυρος: ἢ ἔντασις ἢ χορευτής.</p> |
|---|--|

In scholio Tim. 54; p. 119, 3 μυττωτῶ] duae explicationes Hesychianae consutae sunt.

¹⁾ traditum est πορότης, corr. Rabe ex Hes.

Schol.

μυττωτοῦ] μυττωτός τρίμμα
 ἐξ ἀρτυμάτων πολλῶν συντε-
 θεϊμένων.
 ἐκάλουν δὲ καὶ τι ὑπότριμμα
 διὰ σκοροῶν ὡς Ἀριστοφάνης ἐν
 Εἰρήνῃ. εἶχε δὲ νῦν . . .

Hes.

1. μυτ[τ]ωτεύομεν : συγκόψομεν. ἀπὸ δὲ
 τοῦμυτ[τ]ωτοῦμετενήνεκται· κυρίως
 δὲ λέγεται τὸ διὰ σκοροῶν τρίμμα
 τι ἐξ ἀρτυμάτων πολλῶν συντι-
 θεϊμένων.
2. μυτ[τ]ωτόν : ὑπότριμμά τι
 διὰ σκοροῶν.

Tum dicendum est nusquam Diogenianum laudari. Denique inspectis aliis scholiis, quae partim fluxerunt e Diogeniano, velut scholiis in Plat.¹⁾ et Greg. Naz.²⁾ nihil inveni, quo ut hoc statuerem moverer. Nam schol. Icarom. 17; p. 104, 26 *κυκεῶν*] bene quidem convenit cum schol. Plat. Reip. III, 408 B (Rabe), et hoc scholion e Diogeniano desumptum est (cf. Cohn l. c. p. 790), sed non minus congruit cum Hesychio, quin etiam accuratius conspirat: Schol. Plat. „*κυκεῶν ἐστὶ κράμα ἐξ οἴνου καὶ μέλιτος καὶ ἀλφίτων καὶ τυροῦ καὶ ὕδατος ἀναμεμιγμένον, ᾧ ἐχρῶντο πρὸς πόσιν*“. cf. schol. Luc. „*κυκεῶν ἐστὶ πόμα ἐξ οἴνου καὶ μέλιτος καὶ ἀλφίτων καὶ ὕδατος συγκείμενον*“. cf. Hesych.: *κυκεῶ· κυκεῶνα. ἐξ οἴνου καὶ μέλιτος καὶ ὕδατος καὶ ἀλφίτων ἀναμεμιγμένον πόμα κατὰ ἀποκοπὴν . . .* Adde, quod schol. Bis acc. 8; p. 138, 23: *δευσοποιόν*] τὸ ἀνέκπλυτον βάμμα propius accedit ad Hesychii explicationem „*δευσοποιόν: τὸ ἔμμιον καὶ μὴ ἐκπλυτόμενον βάμμα*“, quam ad schol. Plat. Reip. 429 E (p. 340 H.) e Diogeniano haustum (Cohn l. c. p. 790) *δευσοποιόν*] ἔμμιον, *δυσάπλοτον*, ὡς νῦν. σημαίνει δὲ καὶ τὸν βαζέα“. Scholia Luc. ab eodem scholiasta scripta esse manifestum est, nam alterum legitur in codd. ΓVΦΩ, alterum in codd. ΓVΩΔ. Quae cum ita

¹⁾ M. Schmidt, Quaest. Hesych. p. XCVII. Th. Mettauer, De Platonis scholiorum fontibus. Diss. Zürich 1880, p. 69 sqq. L. Cohn, Untersuch. über d. Quellen der Platonscholien. Jahrb. f. klass. Phil. Sppbd. 13, p. 773–862.

²⁾ Migne, Patrolog. t. 36. Norden, Hermes 27 (1892), p. 606 sqq.

sint, verisimilius Hesychium usurpatum esse quam Diogenianum concedendum est¹⁾. Scholia grammatica, quae extant in codicibus Arethae scholiis refertis, rarius congruunt cum Hesychio, id quod maxime dicendum est de plurimis illis explicationibus Lexiphani appositis. Itaque de lexico vel lexicis, quibus Arethas usus sit, iudicium non faciam.

Iam quid lucremur glossis Hesychianis aut Lucianeis emendandis et supplendis videamus.

Schol. Phal. I, 10; p. 6, 10 legimus *πρωθῆνας* *πρωσταί*, *περίεργοι οἱ τε μανδάτορες*. Hesychius explicat: *πρωθῆνες*: *πιστοί*, *περίεργοι* (cf. Suid. *πρωθῆν*, *πρωθῆνος ὁ μανδάτωρ*); illud *πιστοί* corruptum esse ex *πρωσταί* satis certum est. Conferas aliam glossam Hesychii: *πρωθῆ*: *πρωσις*, *ἐρωτικισ*. Scholiastam gl. *πρωθῆνες* (nominativum) ante oculos habuisse apertum est, quod bene quadrat ad Hesychium. Fortasse etiam verba „*οἱ τε μανδάτορες*“ scholion fidelius servavit.

Schol. Dialog. mort. XII, 5; p. 257, 24 *μυθῶντα*] *σεσημμένον*, *ἐκρέοντα*; verbum *ἐκρέοντα* omittitur ab Hesychio, ubi legimus: *μυθῶσι*: [*σεσημημένοις ἤ*] *σεσημμένους*.

Similiter res se habet in schol. lud. voc. 2; p. 28, 11: *καταίρωντος*] *καταπλέοντος*, *κατερχομένου*, ubi tamen et Hesychius et Photius et Suidas et lex. Bachm. solum *καταίρωντες*: *καταπλέοντες* interpretantur.

Duobus locis: schol. Tim. 54; p. 119, 3 *μυττωτοῦ*], quod supra p. 12 attulimus et schol. Lexiph. 21; p. 202, 5 *ἡ γούν σιληπορδεῖα*] scholia testimonia scriptorum servaverunt; priore loco: *ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Εἰρήνῃ* et altero hoc legimus: „*σιληπορδεῖν παρὰ Σώφρονι τὸ στρηγιᾶν καὶ ἀβρόνεσθαι*“, cum Hesych. exhibeat: *σιληπορδεῖν*. *σιληπορδεῖσαι*: *στρηγιᾶν*, *ἀβρόνεσθαι*. *θρόπτεσθαι*, *γλιθᾶν*.

In scholio antea (p. 10) allato (ad Iov. trag. 2; p. 58, 14 *σάτρονον*) ubi tres glossae Hesychii conglutinatae sunt,

¹⁾ Quod L. Coehn adnotat, l. c. p. 791¹: „Hesych. scheint überhaupt den Byzantinern ganz unbekannt geblieben zu sein“ iam scholio ad Paus. I, 1, 3: (III, 218 Spiro) „*Λάμα πόλις . . . καὶ οὕτω μὲν Ἰπύχιος*.“ refutatur.

prima non plane convenit cum scholio: *δασεῖαν ἢ καταφερῆ Δορικῶς*. Hes.: *σατόραν: καταφερῆ*. Eo verisimilius est Hesychii glossam plenam non esse, quod reliquae duae glossae accurate conspirant.

Integrior etiam gl. *Διάσια* exstat in schol. Icarom. 24; p. 107, 15 (cf. schol. Tim. 10; p. 110, 27) *Διάσια ἐορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπετέλουν μετὰ τινος στυγρότητος θύοντες ἐν αὐτῇ Διὶ Μελιχίῳ*. Hesych.: *Διάσια: ἐορτὴ Ἀθήνησιν καὶ σκυθρωπῶς ἀπὸ τῆς ἐορτῆς, ἣν ἐπετέλουν μετὰ τινος στυγρότητος θύοντες* (cf. Suid. *Διάσια: ἐορτὴ Ἀθήνησι Μελιχίου Διός*).

Hesychius, Phot. Berol. (p. 17, 16 R.) Suidas *ἀνάπαιστα* sic explicant: *κυρίως τὰ ἐν ταῖς παραβάσεσι τῶν χορῶν ἄσματα καὶ ἰδίως τὰ τῶν ῥυθμῶν*. Schol. Conv. 17; p. 32, 3 haec exhibet: *ἀνάπαιστα συγκροτῶν] διὰ τοῦ κροτεῖν τὰς χεῖρας εὐρύθμως, ἀνάπαιστα δὲ κοινῶς μὲν τὰ . . . ἰδίως δὲ τὰ τῷ ῥυθμῷ κεχρημένα τούτῳ*. Meliora haec esse vix neges. Altera pars scholii *παραβάσεις* δὲ ἐστὶ . . . in Hesychio non invenitur.

Denique breviter perstringam scholion exiguum ad Hipp. 4; p. 9, 1 *περίνοια] τέχνη μηχανική ~ VM*. Codex M habet *μηχανήμα*. Rabe comparat Photium: *περίνοια: ὑπερφανία ἢ μηχανή ἢ τέχνη*. Aptius componitur Hesychius: *περίνοια: μηχανή, τέχνη*. Haud scio, an illud *τέχνη μηχανική* ortum sit ex hac Hesychii glossa.

2. De Photii lexico.

De Patriarchae lexico ¹⁾ scholiorum fonte maiore cum confidentia iudicium facere licet quam de Hesychio. Per multa scholia eaque ampliora iis, quae congruunt cum Hesychio, ad verbum conspirant cum glossis Photianis e. g. schol. De hist. conscr. 31; p. 229, 5. Phot.

<p><i>θρίαμβον] θρίαμβος ἐπιδειξις νίκης, πομπή καὶ τὸ σεμνόνεσθαι.</i></p>	<p><i>θρίαμβος: ἐπιδειξις νίκης, πομπή καὶ τὸ σεμνόνεσθαι.</i></p>
---	--

(cf. Suid; lex. Bachm. Et. Magn. 455, 16.)

¹⁾ Usus sum editione Naberiana Leyden 1864; adhibui etiam editionem Porsonis, Lipsiae 1823.

schol. Hesiod. 2; p. 239, 18.

Phot.

φθόνου] φθόνος πάθος λύπη

φθόνος: πάθος λύπη

ἐπὶ τῇ τῶν πέλας εὐπραγία.

ἐπὶ τῇ τῶν πέλας εὐπραγία.

(cf. Suid., lex. Bachm., Et. Magn. 793, 16.)

In rebus ad lexica pertinentibus summa cum cautione agendum esse nemo nescit, qui in his rebus quamvis minime versatus sit. Si glossae cum lexico aliquo congruunt, eas ex hoc lexico sumptas esse statuere non licet. Nam cum talia lexica persaepe artissime inter se cohaereant, non solum lexicon ipsum, sed etiam ea lexica, quae adhibuit lexicographus ille et fontes omnino, ex quibus hausit, ecquid in usum sint vocata examinanda sunt. Itaque num Photii lexicon ipsum, quale servatum est codice Galeano, usurpatum sit quaerendum. Mireris sane, quod eorum scholiorum, quae conveniunt cum glossis Photii, per pauca in uno Photio inveniuntur. Paucis exceptis etiam in Suida leguntur et in lexico, quod dicitur Bachmanniano. De ratione, quae intercedit inter Photium et haec lexica breviter dicam.

Photii et Suidae lexica tam arte affinitatis vincolo inter se coniuncta sunt, ut nondum plane diiudicatum sit inter viros doctos, utrum Suidas Photii lexico ipso (sc. alia recensione) usus sit, an uterque iisdem ex fontibus hauserit, quamquam mihi quidem, ut sententiam posteriorem sequar, Boysen¹⁾, Wentzel²⁾, Reitzenstein³⁾ persuaserunt.

In lexico Bachm. res valde impedita (Reitzenstein l. c. p. 19 sqq.). Lexici Bachm.⁴⁾ (συναγωγὴ τῶν λέξεων χρησίμων (cod.

¹⁾ K. Boysen, De Harpocratonis lexici font. quaest. select. Kiel 1876; p. 36 sqq.

²⁾ G. Wentzel, Beiträge zur Gesch. der Lexikogr. Sitzb. d. Berl. Akad. 1895; p. 780.

³⁾ R. Reitzenstein, Der Anfang d. Lex. d. Photius. Leipzig u. Berlin 1907, p. 31—46.

⁴⁾ Naber hoc lexicon nihil esse censens praeter excerpta e lexico Photii exceptis nonnullis glossis interpolatis (edit. praef. p. 127) iam diu a viris doctis refutatus est.

Coisl. 345 B) Bachmann: Anecd. I.) olim exstabat exemplar, quod diversis ex fontibus amplificatum est; hanc lexici recensionem Reitzenstein significat littera B*. Quo lexico Photius usus est cf. p. XLVI. „Photius benutzt wirklich das Werk B*, das uns verkürzt und interpoliert in der Handschrift B vorliegt, als Hauptquelle.“ Haec hactenus. Quibus rebus respectis mirum iam non est, quod scholia cum glossis Bachm. tam accurate consentiunt, sed longe plurimas glossas cum Photio congruentes etiam in lexico Bachm. legi notandum est. Praeterea e. g. in schol. De die nef. 24; p. 209, 25 ἰαλέμων] lex. Bachm. sub finem verbum λόγος servavit, quod in Photio deest. Adde, quod Suidas, qui idem ex illa συναγωγῆ hausit, gl. ἀβουράκη (schol. Lexiph. 6; p. 197, 1) ita exhibet ut scholiasta, cum Photius Berol. 8, 7 et Phot. Athen. 315, 1 aliam interpretationem habeant. Accedit aliud. Duo scholia: Phal. I, 3; p. 3, 9 ἀπαγωγαι] et Phal. I, 7; p. 5, 15 ἀγάλματα] congruunt cum duobus glossis Bachm. (in quibus nonnulla plura). Quae glossae etiam apud Photium inveniuntur, ita tamen, ut alteram partem glossarum conforment. Exstant gl. non in codice Galeano, sed in codice Berolinensi graec. oct. 22 (s. XI./XII.). Dum enim occupatus sum in hac quaestione, bene accidit, quod Reitzenstein fragmentum lexici Photiani continens gl. ἸΑ usque ad gl. ἄπαρως ex illo codice publici iuris fecit. Capimus ex hoc fragmento nostrae quaestioni fructum non ita magnum, cum ne una quidem glossa hic inveniatur, quam non nisus lexico Bachm. et Suida iam antea Photio vindicandam esse stauissemus. Sed redeamus ad illas glossas. Scholiastam eas separatas legisse e lexico Bachm. apparet. Quae difficultas tollitur alio fragmento lexici Phot., quod e codice Atheniensi 1083 s. XVI. C. Fredrich et G. Wentzel ediderunt in Act. R. Soc. Litt. Gott. 1896; p. 309—335. Complectitur hoc fragmentum gl. ἀβραμῆος — ἸΑδράστεια. Quo fragmento in rem vocato codicem Berolinensem (b)

et Galeanum (g) hac re differre statui potest (cum in copia glossarum plane convenient, quatenus hoc e parvis illis reliquiis gl. littera *a* incipientium cognoscere licet). Utar verbis Reitzensteini l. c. p. X. „Um so auffälliger sind die willkürlichen Veränderungen im Hauptbestand. So lässt a (frgt. Atheniense) eine Reihe von Glossen fort, die durch die Übereinstimmung von b und g als echt erwiesen werden. Andererseits sucht b nach Möglichkeit Glossen des gleichen oder ähnlichen Lemmas untereinander zu verbinden.“ Apparet igitur ex iis, quae dicta sunt, scholiastam usum esse codice non simili codici Berolinensi sed Galeano, glossarum speciem et formam si respicis. Praeterea si reputaveris nonnulla scholia ampla in Photio inveniri, quae neque in lexico Bachm., neque in Suida exstant, et scholiastam interdum non solum unam glossam, sed totam seriem descripsisse atque cum lemmatis quidem, iam non dubitabis, quin Photii lexicon ipsum, et codex quidem Galeano simillimus, adhibitum sit. De discrepantiis, quarum iam supra mentionem feci, infra dicam.

schol. Abd. 30; p. 215, 14.

ὑποτυφόμενα] καιόμενα. λέγεται καὶ τυφός ἢ ἀλαζονεία καὶ τυφομένης ἀντὶ τοῦ καπνίζομένης καὶ τυφών οὐχ ἢ φλόξ ἢ ἐκ τοῦ ἀέρος, ἀλλ' ἢ ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως συστροφή πρὸ τοῦ ἐκπορωθῆναι, ὡς Πλάτων ἐν Φαίδρῳ.

Phot.

1. τυφεται: καιεται.
2. τυφός: ἀλαζονεία, μανία.
3. τυφομένης: καπνίζομένης.
4. τυφών: οὐχ ἢ φλόξ ἢ ἐκ τοῦ ἀέρος, ἀλλ' ἢ ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως συστροφή πρὸ τοῦ ἐκπορωθῆναι, ὡς Πλάτων ἐν Φαίδρῳ.

Iam e glossis mihi allatis scholiastam in Patriarchae lexico expilando rem plane aliter egisse cognoveris, quam scriptor eorum scholiorum, quae congruunt cum Hesychio, et hoc quoque apertum est hunc hominem non eundem

esse atque illum; affirmatur res eo, quod omnes fere glossae cum Photio conspirantes in uno codice Δ inveniri Rabe in praefatione recte adnotat (p. VI). Omnino hic scholiasta, homo non ita diligens, qui Et. Magnum quoque usurpavit, ut infra (p. 29 et 35) ostendemus, solus Photium in usum vocasse videtur. Arethas certe Photio usus non est, cum ne una quidem glossa, quae debetur Patriarchae, in codicibus E, B, R legatur.

Schol. De merced. cond. 30; p. 167, 28 legimus: ὄχλος ἐνταῦθα ὡς τὸ πλῆθος, ἀλλ' ἡ ὄχλησις. Photii glossa haec est: ὄχλος: τὸ πλῆθος καὶ τὴν ὄχλησιν. Hoc loco igitur scholiasta eam explicationem elegit, quae apta fuit; ceterum totam glossam, qualemcumque inveniebat, recipere solet et eas quoque interpretationes, quae plane alienae sunt a Luciani locis, affert, e. c. schol. Phal. I, 3; p. 2, 19 εὐθύς καὶ εὐθέως], vel schol. De hist. conscr. 25; p. 228, 23 θραυσμάτων]. Etiam glossas corruptas descripsit, velut schol. Apol. 10; p. 236, 22 ἡλιβάτων]. Omittit ἡ ἐστὶν ἀλιτεῖν βαινοῦντα, tum exhibet ἡ ὅπου ὁ ἥλιος πρῶτον βάλλει, εἴλη βεβηκυῖαν. Στήσιγρος δὲ Phot.: ἡ ὅπου ἥλιος πρῶτον βάλλει: ἀλὶ βεβηκυῖαν. Στήσιγρος, vel schol. Apol. 11; p. 236, 27 κρησφύγετα]. Exstat in scholio στενά (lin. 27.), ut in cod. Galeano et Suida, quod Naber recte correxit in στεγνά. Aliis locis scholiasta id egit, ut verborum formam Luciani locis adaptaret: schol. Phal. I, 4; p. 4, 8 στρεβλούμενοι] δεσμούμενοι. μαστιζόμενοι. Phot.: στρεβλούμενος: δεσμούμενος, μαστιζόμενος. Interdum etiam Photii explicationem omissio lemmate immutatam apposuit: schol. Cal. non cred. 2; p. 25, 9 συνωμοσία] ἡ μεθ' ὅρκου φιλία. Conglutinasse videtur Photium cum alio fonte schol. Phal. I, 2; p. 1, 15 μέτριον] ταπεινὸν καὶ συγγνωμονικόν. λέγεται δὲ καὶ μέτριος ὁ μεμετρομένην ἔχων οὐσίαν ἡ ὁ τὸ ἦθος ἐπεικῆς. Convenit Phot.: μέτριος ὁ μεμετρομένην ἔχων . . . Unde prior pars glossae sumpta sit competentum non habeo.

Ut iam diximus omnes fere glossae, quae cum Photio

congruunt, etiam in lexico Bachm. et Suida inveniuntur. Haud paucae in Suida leguntur, quae in Photio non exstant; sed Suidam ipsum a scholiasta usurpatum non esse iam ex ea re apertum fit, quod longe plurimae glossae iis locis leguntur, quibus Patriarchae lexicon vacat, ut eae iure Photio attribuemus, quatenus exstant in codice Δ, praesertim cum scholiasta ne uno quidem loco Suidae morem testimonia scriptorum afferendi sequatur. Praeter eas glossas, quae Photio vindicandae sunt, alias cum scholiis convenientes in Suida invenimus. Quae scholia omnia brevia sunt et neque Photio neque Suidae debentur. Exempla haec afferam: schol. Dialog. mar. XV, 2; p. 268, 19 ἡρόν] αἰγιάλον. ~ Suid.: ἡρόν: ὁ αἰγιάλος (cf. Et. Magn. 422, 51 Ἡρόν: ὁ αἰγιάλος, παρὰ τὸ αἶεν, τὸ ἀπόειν), vel schol. Conv. 6; p. 30, 14 κ ο πί θα] μάχαρον. ~ Suid. κ ο πί ς: ἡ μάχαρον. Οὐ φονίην ἤγαγε . . . Tertium hoc afferam: schol. Catapl. 26; p. 52, 27 ἐμπαροινῶν] ἐνυβρίζων. ~ Suid. ἐμπαροινῶντες: ἐνυβρίζοντες καὶ Ἰώσηπος . . . (cf. Hesych. ἐμπαροινῶντες: ὑβρίζοντας). Quae explicationes exiguae plerumque in codice vetustissimo Γ leguntur et eidem fonti, e quo Suidas hausit, attribuendae esse videntur, sed certum iudicium de eo proferre non licet. Hesychius eas glossas aut omnino non exhibet, aut aliter explicat.

Suidas et lexicon Bachm. haud mediocrem utilitatem afferunt ad magnas Photii lexici lacunas explendas; sed primum quid textui sive Photii, sive scholiorum restituendo proficiamus singulis in glossis quaeramus. Scholiastam codice usum esse Galeano similimo iam supra p. 16 commemoravimus, plane autem eundem fuisse atque hunc negamus. Nam vide. In gl. ἰάλεμῶ (cf. schol. De die nef. 24; p. 209, 25) scholiastae in exemplari s. f. λόγου exstitisse iam supra diximus (p. 15). Schol. Apol. 5; p. 235, 20 ῥυθμοῖς] ῥυθμός τάξις ἐμμελὸς ἀκόλουθος ἀρμονία, μέλος εὐφρόσυνον convenit cum Photio usque ad ἀρμονία; sequentia verba μέλ. εὐφρ. omittit Phot. Traditum (in

scholio) ἄρμονία Rabe mutavit in ἄρμονίας recte mea sententia; sed scholiastam in exemplari suo legisse ἄρμονία conicias e glossa lexicī Bachm. In Suidae verbis ἀκολούθου ἄρμονίας fortasse vestigium lectionis genuinae cognoscas. Ad lin. 21 Rabe adnotat: „εὐφρόσυτον vix sanum“. Ego quoque corrigendum esse „εὐφωτον“ existimo e Suidae et lexicī Bachm. verbis: μέλος εὐφωτον, σύγκριστις. Hoc certe scholio Photii glossam olim ampliorem exstitisse affirmatur. Supplendum est „μέλος εὐφωτον, σύγκριστις“.

Paucis perstringam schol. Abd. 23; p. 215, 5 προνομίαν]. Hoc loco scholiasta tres glossas Photianas ad verbum descripsit. Itaque quod plura habet altera in gl. „τῶν σούλων“ non ipsum addidisse putaverim. Lex. Bachm. illa verba aequae ac Phot. omittit.

Similiter res se habet in schol. Cal. non cred. 16; p. 26, 26 ταραντινίδιον] θέριστρον λεπτόν καὶ διαφανές ἱμάτιον οὐ πάντως πορφυροῦν. Phot. omittit θέριστρον et addit ὧς τινες ὑπέλαβον· οὕτως Νικόστρατος. Iterum scholiasta solus (nam in Suida quoque θέριστρον deest) hoc verbum plus habet et vix potest diiudicari, utrum genuinum sit, an scholiastae additamentum.

Suspicionem movet verbum ἐπιβολῆς in schol. De merc. cond. 31; p. 167, 29 φθόγη] τὴν φθίσιν, ἧτις ἐξ αἵματος ἐπιβολῆς. Photii gl. haec est: φθόγη: φθίσις ἢ ὄνομα πάθους, ἐξ αἵματος ἀναγωγῆς. Item in Suida, Et. Magno 793, 13, Timaeo (lex. Plat.) legitur ἀναγωγῆς. Veram igitur lectionem scholion hoc loco non servavit, etsi ἐπιβολῆς sensu non carere concedendum est.

Scholii De die nef. 24; p. 209, 25 ἰαλέμων] ἰαλεμος θρήνος verba sequentia ὅτι εἶδος θρήνου... in adn. crit. leguntur. Naberī sententia fortasse scribendum esse ἰαλέμω θρήνω in Photii glossa pro ἰαλεμῶ: θρήνω· ἰαλεμος γὰρ θρήνου εἶδος... scholio fulcitur.

Scholion memorabile hoc est, quod componam cum Photio:

schol. Abd. 6; p. 214, 27.

κώμους | κῶμος ἢ μέθη καὶ ἢ ἀπὸ μέθης ἀσέλγεια, φῶδι, ὀρχήσεις μετὰ μέθης· λέγεται κῶμα καὶ ὁ ὕπνος καὶ κωμάζω τὸ ὑβρίζω καὶ κωμαστής ὁ τρυφῶν μετ' φῶδης ἀσελγούς καὶ κώμῳθα δέσμη γόρτου καὶ κωμωδία ὑβρεις, διασυρμοί, ἐμπαίγματα.

Phot.

1. κῶμοι: φῶδι, ἢ ὀρχήσεις μετὰ μέθης.
2. κωμάζει: κῶμον ἢ ὄραμα ἄδει, ὑβρίζει.
3. κωμαστής: ὁ τρυφῶν μετ' φῶδης ἀσελγούς.
4. κώμῳθα: δέσμη γόρτου.
5. κωμωδία: ὑβρεις, διασυρμοί, ἐμπαίγματα.

Scholiastam lexicon exscripsisse primo obtutu cognoveris; quin Photii lexicon fuerit iam dubium esse non potest, praesertim cum scholion in solo codice Δ legatur. Ceterum omnia fere scholia grammatica, huic dialogo ascripta, Photio debentur. Praeter gl. κῶμους uno loco scholiographus quattuor, uno tres, tribus duas explicationes Photianas contraxit. Hoc in scholio verba κῶμος ἢ μέθη καὶ ἢ ἀπὸ μέθης ἀσέλγεια, praeterea λέγεται κῶμα καὶ ὁ ὕπνος desunt in Photio; sed si accuratius inspexeris scholion, initio duas glossas conglutinatas esse cognosces. Post verbum ἀσέλγεια scholiasta adnectit alteram explicationem φῶδι, ὀρχήσεις μετὰ μέθης omisso lemmate κῶμοι, ut numerus pluralis non quadret ad lemma commune κῶμος. Quoniam utraque glossa idem verbum explicatur, alterum lemma facile neglegi poterat. Certo igitur certius esse mihi videtur gl. „κῶμος: ἢ μέθη καὶ ἢ ἀπὸ μέθης ἀσέλγεια“ in scholiastae exemplari Photii existisse. Legitur in Photio gl. κῶμος: εἶδος ὀρχήσεως. Si duae glossae eadem sub voce exstabant, eo facilius altera a librario, sive fortuito sive consulto, omitti poterat. Fortasse etiam gl. κῶμα ὁ ὕπνος periit; nam saepius a librariis in describendis lexicis unam aut alteram glossam omitti et alia docent exempla et ipsum Patriarchae lexicum fragmentum Atheniense, in quo duae glossae desunt.

Denique verbo monuerim Rabium non recte adnotasse ad lin. 21 schol. Phal. I, 3; p. 2, 19 εἰθὺς καὶ εἰθῶς

ἀμφοτέρω ὃν γὰρ τὸ παραγοῖμα σημαίνει, ἀλλὰ τὸ ἕως καὶ τὸ εἰς οἶον: „καὶ εἰς οἶον εὐθὺς σκοποῦ κτλ. Phot.“ Quod Rabe affert est coniectura Porsonis effectum, quem secutus est Naber. Verba εὐθὺς σκοποῦ etc. in codice Galeano disiuncta sunt ut nova glossa. Scholiasta igitur id, quod invenit in exemplari, descripsit ad verbum nihil sensum curans. Corruptelam (nam ego quoque duas illas glossas coniungendas esse censeo) iam in B* fuisse demonstrat Suidas, qui explicationes separatas tradit et lex. Bachm., in quo altera glossa: εὐθὺς σκοποῦ· ἀκριβῆς κατ' εὐθεΐαν servata est.

Iam quid lucremur e quaestione ad lacunas lexicī Photiani explendas videamus. Quoniam omnia scholia, quae hausta sunt ex hoc lexico, perpaucis exceptis ad verbum congruunt, ea sua ex parte tamquam codicis instar haberi possunt. Glossam, si simul in lexico Bachm. et Suida exstat, etiam in Photio existisse satis certum est; affirmatur res, si glossa etiam in scholiis Lucianeis legitur. Id quoque statuere licet glossam, si invenitur in lexico Bachm. aut Suida simulque in scholiis (in uno codice Δ), pro certo Photio esse attribuendam. Huius rei multa exempla sumpta ex iis partibus lexicī, quae aetatem tulerunt, afferri possunt. Etiam fragmento Berolinensi haec norma, quam statueram, priusquam illud publici iuris factum erat, affirmata est una glossa excepta (schol. Lexiph. 6, p. 197, 1 ἀβυρτάκη] cf. p. 21). Enumerabo singulas glossas, quas in lacunis existisse contendo.

I. De glossis lacunae litt. α—ε.

1. Incipiam a schol. Lexiph. 6; p. 197, 1 ἀβυρτάκη] Antecedit explicatio eiusdem vocis ab Aretha scripta. Tum legimus in uno codice Δ:

— ἄλλως. ἀβυρτάκη: ὑπότρομμα βαρβαρικὸν κατασκευαζόμενον διὰ πρῶτων καὶ καρδάμων καὶ ῥύας κόκκων καὶ ἐτέρων τοιούτων ὀρμῶν. Θεόφιλος Θγ.σεΐ:

„ἤξει δὲ Μήδων γαῖαν, ἔνθα καρδάμων
 πλείστον ποιεῖται καὶ πράσων ἀβυρτάκη.“
 ἔστι δὲ καὶ ἐν Κεχροφάλλῳ Μεσάνδρου τοῦνομα¹⁾).

Tota gl. congruit ad verbum cum Suida, praeterquam quod lectio variat: schol.: τοιούτων δριμέων, Suid.: τοιούτων δριμύ δηλονότι. In Phot. Berol. 8, 7 alia invenitur interpretatio; sed nihilo minus scholiastam quam habet glossam in exemplari suo Photii legisse credo; atque haud scio, an huic opinioni faveat gl. lexicī Bachm., cuius prior pars quidem consentit cum Phot. Berol., altera autem, quam omittit Phot. Berol.: Θεόπομπος usque ad finem, accurate congruit cum scholio et Suida.

2. Schol. Phal. I, 3; p. 3, 11 ἀποτρόπαια] φευκτὰ καὶ μισεῖσθαι ἄξια. — Lex. Bachm. et Suidas s. v. ἀποτρόπαισι.

3. Schol. Abd. 20; p. 214, 26. Suid., lex. Bachm.
 ἀπόχρη] ἀντὶ τοῦ ἐξαρχεῖ φησιν Ἱεροδότος. ἀποχρᾶν: ἐξαρχεῖν Ἱεροδότος.

4. Schol. De hist. conscr 49; p. 230, 13. Suid., lex. Bachm.
 ἄρτι] τὸ μέρος τοῦ παρεληλυθότος συνάπτον τῷ νῦν ἐναντίως ἔχον τῷ αὐτίκα· τοῦτο γὰρ κατὰ τὸ μέλλον συνάπτει τὸ νῦν.
 ἄρτι ἐπὶ τοῦ ἀπηρτισμένου καὶ πεπληρωμένου. λέγεται δὲ ἄρτι καὶ τὸ μέρος τοῦ παρεληλυθότος συνάπτον τῷ νῦν ἐναντίως ἔχον τῷ αὐτίκα· τοῦτο γὰρ κατὰ τὸ μέλλον συνάπτει τῷ νῦν.

τῷ νῦν om. lex. Bachm. Etiam priorem partem glossae in Photio exstitisse consensus lexicī Bachm. et Suidae demonstrare videtur.

5. Schol. Phal. I, 4; p. 3, 20. Lex. Bachm.
 ἀρχαῖος] ὁ εὐήθης, ὡς φησι Πλάτων. ἀρχαῖος ἀντὶ τοῦ εὐήθης Πλάτων.
 Ἰσοκράτης δὲ ἐν τῷ Πανηγυρικῷ τὸ „ἀρχαιοτρόπως εἰπεῖν“, τοῦτέστιν

¹⁾ Eustath. 1854, 18. „καὶ παρὰ Θεοπόμπῃ ἀβυρτάκη ὑπότρομμα τι δριμύ, βαρβαρικὸν διὰ πράσων καὶ καρδάμων καὶ κόκκων ῥιζᾶς καὶ ἐτέρων τοιούτων.“ Zonar. p. 8. „Ἀβυρτάκη ὑπότρ. βαρβ. δριμύ κατεσκευασμένον διὰ πράσων καὶ καρδάμων καὶ κόκκων ῥιζᾶς καὶ ἐτέρων.“

ἀρχαιότεροις ὀνόμασι χρῆσθαι. Δημοσθένης δὲ ἐν τοῖς Φιλιππικαῖς εἰπὼν, „οὕτω δὲ ἀρχαίως εἶχον, μᾶλλον δὲ πολιτικῶς“, ἀντὶ τοῦ ἀπλῶς ἔλαβεν.

Utrum tota glossa lexicī Bachm. Photio attribuenda sit, an prior tantum pars, quam scholiasta descripsit, diiudicare non audeo.

6. Schol. Phal. I, 4; p. 4, 1 ἀστυγείτονας] πλησιοχώρους. Suid. et lex. Bachm. s. v. ἀστυγείτων.

7. Schol. Phal. I, 4; p. 4, 6.

Lex. Bachm.

ἀστυγείρις] τῇ τῶν χειρῶν δυναμίει, ἀθαιρέτως μετὰ θυμοῦ ὀρμώμενοι καὶ φονεύοντες. λέγονται δὲ ἀστυγείριες καὶ οἱ αὐτοὺς φονεύοντες.

ἀστυγείριες: οἱ αὐτοὺς φονεύοντες.

De priore parte scholii certum iudicium facere non licet. Fortasse illa verba alio e lexico hausta sunt.

8. Schol. De hist. conscr. 17; p. 227, 29. βωμολογικά] βωμολόγος ὁ περὶ τοὺς βωμοὺς λογῶν ὑπὲρ τοῦ λαβεῖν τι παρὰ τῶν θούτων. μεταφορικῶς δὲ καὶ ὁ παραπλησίως τούτῳ ὠφελείας ἕνεκέν τινος κολακεύων, καὶ βωμακεύματα καὶ βωμολογεύματα. Ἀπολλόδοφος Κυρηναῖος ὁ εὐτραπέλος καὶ γελοτοποιός. τινὲς δὲ τὸν μετὰ τινος εὐτραπέλιος κολακα καὶ τὸν πανούργον καὶ συκοφάντην. Suidas.

Suid.: ὠφελείας ἕνεκά τινος κολακεύων. τινος meliorem esse lectionem censeo; praeterea addit δὲ sub finem post τινὲς et post πανούργον. — cf. Et. Magn. 217, 55.

9. Schol. Phal. I, 3; p. 3, 5.

Suid.

Lex. Bachm.

δημοθονία] ταῖς τοῦ δήμου εὐωχίας ἢ θυσίας.

δημόθονα καὶ

δημοθονία: τοῦ δήμου εὐωχία ἢ θυσία.

δημόθονα: τοῦ δήμου εὐωχία ἢ θυσία.

10. Schol. Phal. I, 2; p. 1, 14.

Suid., Hesych.

δημοτικά] ὁ πρέπων ἐν πολλοῖς.

δημοτικά: τὰ τοῖς πολλοῖς ἐμπρέποντα.

11. Schol. Apol. 9; p. 235, 15. Lex. Bachm.
 ἐάλω] ἐλήφθη, ἐκρατήθη, ἐ- ἐάλωκεν: ἐλήφθη,
 παρδήθη.
- Glossam lexicī Bachm. non integram et quae Schol. plura
 praebet supplenda esse persuasum mihi est¹⁾. cf. Hesych.:
 ἐάλω: ἐκρατήθη, ἤλέγχθη.
12. Schol. Abd. 26; p. 215, 9 ἐξαγώνιον] ἐξω τοῦ
 ἀγῶνος. Suid. et lex. Bachm. s. v. ἐξαγώνιος.
13. Schol. Phal. I, 6; p. 4, 21 ἐξαρνοῖ] οἱ τῶ ἀρνείσθαι
 ἐπιμένοντες καὶ ἀρνούμενοι καθόλου. Suidas s. v. ἐξαρνοῦ.
14. Schol. Abdic. 6; p. 214, 13 ἐπιπόλαιον] τὸ πρὸς
 ὀλίγον φανόμενον. Suidas. s. v. ἐπιπόλαια.
15. Schol. Iov. trag. 16; p. 63, 12. Lex. Bachm.
 τὸν ἐπίτριπτον] τὸν ἄξιον τοῦ ἐπίτριπτον: ἄξιον
 ἐπιτριβῆναι, τουτέστι πληγῆναι. ἐπιτριβῆναι, ὅ ἐστι πληγῆναι.
 cf. Suid.: ἐπίτριπτος: ὁ ἐπιτριβῆναι ἄξιος. (cf. Et. Magn. 367, 1.)
 Dubito de his glossis:
16. Schol. Hesiod. 5; p. 240, 7. Suid.
 ἄττα] τινὰ ἢ ἄτινα ἢ παραπλή- ἄττα, τινὰ, ἢ ἄτινα ἢ παραπλή-
 σια ἢ ὀλίγα. σια ὀλίγα.
17. Schol. Phal. I, 5; p. 4, 16. Suid.
 γενναῖα] εὖ γεγονότα ἢ εὐγε- γενναῖος: ὁ εὖ γεγονώς καὶ Γεν-
 νέστατα καὶ δυνατά. ναῖος εἶ
18. Schol. De hist. conser. 54; Suid., lex. Bachm.
 p. 231, 5.
 ἐξίτηλα] ἀφανῆ, εὐτελεῆ καὶ ἐξωθεν ἐξίτηλα: ἀφανῆ, εὐτελεῆ, χαῦνα,
 βαφῆς, ἢ ἀντὶ τοῦ φαῦλα.

¹⁾ Respicias saepius in lex. Bachm. pauca deesse.

II. De glossis lacunae litt. ζ.

19. Schol. De hist. conscr. 31; Suid. Lex. Bachm.

p. 229, 7.

κόρουζης - γέμουσα] μεμωρα- κόρουζα καὶ κορουζῶν: μεμωρα- κόρουζων: μεμωρα-
 μένος ἢ μωξάζων¹⁾: καὶ μένος ἢ μωξάζων²⁾:
 κορουζῶντα. κόρουζα γὰρ ἢ μωξά.

20. Schol. Conv. 48; p. 35, 28. Lex. Bachm.

κραίνουσι] τελειοῦσι. κραίνουσιν: τελιοῦσιν, πληροῦσιν,
 βασιλεύουσιν, κυριεύουσιν³⁾).

Sequitur scholion hoc alterum: θεοί] πλούσιοι. Adnotat Rabe ad lin. 29. „πλούσιοι vix sanum; fort. ad κραίνουσι ascriptum erat πληροῦσι, quod in margine exemplaris mei enotatum inveni ex codice nescio quo, inde autem πλούσιοι ortum.“ Bene ad hoc quadrat, quod legimus in lex. Bachm.; itaque non dubito, quin haec glossa Photio vindicanda sit.

III. De glossis lacunae litt. φ—ψ.

21. Schol. Hesiod. 6; p. 240, 8. Suid., lex. Bachm.

φορμῶ] φορμός προκαλούμα ἢ φορμός: προκαλούμα ἢ
 πλεκτόν ἀγγεῖον ἐκ φλοιοῦ, ἐν ᾧ πλεκτόν ἀγγεῖον ἐκ φλοιοῦ, ἐν ᾧ
 εἰώθησαν ἰσχαῖδες κομίζεσθαι¹⁾. εἰώθησαν ἰσχαῖδες κομίζεσθαι.

Lex. Bachm.: περικάλυμμα et addit: καὶ φορμοροφούμεθα ἀντί
 τοῦ συρράπτουσι τινες καθ' ἡμῶν πράγματα ἀπὸ τῆς φορμῶ. Suid.
 add. καὶ φορμοκοιτῶ ἐν ψαθίῳ Etiam Et. Magn. 798, 5
 congruit accurate usque ad κομίζεσθαι. Qua de causa glos-
 sam Photii verba usque ad κομίζεσθαι comprehendisse ma-
 gnam veri speciem habere videtur.

¹⁾ Cod. μωξάζων.

²⁾ schol. Plat. Reip. 343 A (p. 334 H.) κορουζῶντα] μωραίνοντα, μωξά-
 ζοντα. κόρουζα γὰρ ἢ μωξά, ἣν οἱ Ἀττικοὶ κατάρρουν φασίν.

³⁾ cf. Hesych., κραίνουσιν: πληροῦσι, παρέχουσι, τιμῶσι, βασιλεύουσι.

⁴⁾ Cod. exhibet ἰσχαῖδ^{ας} κομίζεσθ^{ειν}αι. Itaque ἰσχαῖδες κομίζεσθαι scri-
 bendum esse existimo.

22. Schol. De hist. conser. 48;
p. 230, 6.

Suid.

ἄλλως εἰς τὸ χρηματίζεσθαι: χρήματα
πραττέτω.

σημαίνει δὲ καὶ τὸ πράγμασι χρήσασθαι:
χρηματίζει ἢ βουλή
καὶ ὁ δῆμος, οἷον πράγμασι σχο-
λάζει· ἀφ' οὗ χρήματα τὰ πράγματα.

1. χρηματίζεσθαι: χρήματα
πράττεσθαι. ἐάν τις εἴπη τὴν λέξιν
ἐνεργητικῶς χρηματίζει, οὐκέτι τὸ αὐ-
τὸ δηλοῖ, ἀλλὰ τὸ πράγμασι χρήσθαι·
οἷον φαρῆν, χρηματίζει ἢ βουλή
καὶ ὁ δῆμος· οἷον πράγμασι σχο-
λάζει· ἀφ' οὗ χρήματα τὰ πράγματα.

Suid., lex. Bachm.

χρηματίζεσθαι πλουτεῖν.
χρηματισάμενοι ἀντὶ τοῦ πραγμα-
τευσάμενοι. καὶ χρηματίσαι
μὲν ἐστὶ τὸ πράξει, χρηματί-
σασθαι δὲ τὸ κερδᾶναι.

2. χρηματίζεσθαι: πλουτεῖν.
3. χρηματισάμενοι: πραγμα-
τευσάμενοι· καὶ χρηματίσαι
μὲν ἐστὶ τὸ πράξει, χρηματί-
σασθαι δὲ τὸ κερδᾶναι παρὰ Θουκυδίδη.

παρὰ Θουκυδίδη om. lex. Bachm. Tres igitur glossas
lexici Phot. scholiasta contraxit.

3. De lexico Bachmanniano.

Pauca addam de lexico Bachm. Praeter eas glossas cum scholiis convenientes, quae etiam in Suida vel Et. Magno exstant, sunt nonnullae, quae in uno lexico Bachm. servatae sint. De iis, quae reducendae sunt ad Photium, iam diximus. Quas si exceperis 8 in solo lex. Bachm. invenies; non solum ad verbum congruunt cum scholiis, etiam forma verborum velut ἐσπᾶδει, δεδίττονται accurate convenit una gl. corrupta excepta. Omnes praeter unam in codice P leguntur neque dubitare licet, quin e scholiis in lexicon translatae sint; nam hoc lexicon scholiis Lucianeis amplificatum esse constat (cf. Wentzel l. c. p. 479). Reliquum est, ut glossas enumerem.

1. Schol. Bis acc. 7; p. 138, 19 δεδίττονται] ταραττουσιν.
2. Schol. Iov. conf. 15; p. 56, 28 διηγυλημένους] ἐν

έτοίμοφ ἔχων. Lex. Bachm. διηγκωλημένον: ἐν ἐπιτόμοφ ἔχων. Glossa corrupta est; scribendum est sine dubio ἐν έτοίμοφ.

3. Schol. Catapl. 12; p. 46, 13 ἐσπόθει| ὕβριστικῶς ἡφροδισιάζεν.

4. Schol. Dial. mort. XVIII; p. 260, 8 κατασοφισθείς| ἀπατηθείς.

5. Schol. Pisc. 52; p. 137, 11 καυτηρίων θεησόμεθα| κεκαυτηριασμένος κυρίως ὁ μὴ ἔχων ὑγιή τήν συνείδησιν. Lex. Bachm.: κεκαυτηριασμένος: μὴ ἔχων ὑγιή τήν συνείδησιν.

6. Schol. Iov. trag. 14; p. 61, 28 πεπαρῶνγται| ὕβριστικῶς πέπρακται.

7. Schol. Bis acc. 7; p. 138, 21 προεπεξενῶσθαι| ἀπό πολλοῦ ξενοδοχηθῆναι.

8. Schol. Dial. mort. XXI, 4; p. 262, 22 στέγειν|δέχεσθαι, βαστάζειν.

Idem statuendum est de his glossis:

9. Schol. Dial. mort. XX, 11; p. 262, 3 δεδῶμενος| πεπορθημένος. cf. Hesych.: δεδῶται: πεπόρθηται.

10. Schol. Bis acc. 2; p. 137, 24 μερμηρίζω| μερμηνώ. cf. Hesych. μερμηρίζεν: ἐμερήμνα, ἐβουλεύετο.

11. Schol. Dial. deor. XIII; p. 272, 1 πυρριχίξει| μετὰ ἔπλων ὀρχεῖται. Lex. Bachm.: πυρριχίξει: ἀντὶ τοῦ μεθ' ἔπλων ὀρχεῖται. cf. Suid.: πυρριχί: εἶδος ὀρχήσεως. . . . καὶ πυρριχίξειν μεθ' ἔπλων ὀρχεῖσθαι.

4. De Etymologico Magno.

Quattuor locis in Etym. Magno nomen Luciani occurrit. Uno loco s. v. σαπέροδας 708, 40 hoc legimus: „σαπέροδας πέντε καὶ τέσσαρατς πέρατα“ οὕτως παρὰ Λουκιανῶ (cf. Dial. meretr. XIV, 2.). σαπέροδα: αἱ ἀφύαι etc. Omnia quae deinde sequuntur verba (est glossa satis ampla) illi loco Luciano ascripta

sunt. Glossae ad verbum congruunt usque ad finem¹⁾. Uno certe hoc loco Etymologum libros Luciani inspexisse et scholia ascripta recepisse demonstratur. Multae aliae glossae, si scholia comparamus cum Etymologico, conveniunt. Quae cum ita sint, coniecerit fortasse quispiam omnia haec scholia a lexicographo recepta esse. Sed rem ita se habere necessarium non esse iam inde apparet, quod scholia non ab uno homine, sed diversis temporibus scripta sunt; immo falso illud conici et glossis potius Et. Magni verba Luciani illustrata esse iam demonstramus. Quod ut perficiamus in singula scholia inquirere opus est. Primum afferam schol. Conv. 8; p. 30, 20:

Schol.

κλιντήρα] κλιντήρ εἶδος φο-
ρείου ἢ κλινίδιον ἔχον ἀνακλί-
σεις, οἷον νῦν τὸ κλινοκαθέδριον.

Et. Magn. 520, 26.

κλιντήρες: εἶδος φο-
ρείου ἢ κλινίδιον ἔχον ἀνακλί-
σεις, οἷον τὸ νῦν κλινοκαθέδριον.

Hanc glossam non e scholiis receptam esse apertum est; nam Etymologus, si inveniebat in scholiis accusativum κλιντήρα, qua de causa nominativum pluralis scripserit intellegi vix potest. Contra scholion ex Etymologico haustum esse nihil est, cur non statuamus. Aliis in glossis Etym. plura praebet quam scholia; e. gr. schol. Musc. laud. 10; p. 11, 12 conferas cum Et. Magn. 371, 1:

Schol.

ἐρεσχελοῦσα] γίνεται ἀπὸ τοῦ
ἐρᾶν καὶ τοῦ λέσχης. ἐρεσχελία
δὲ ἢ φλοαρία. παρὰ τὸ ἔρην
ἐν τοῖς χειλέσιν ἔχειν.

Et. Magn.

ἐρεσχελία ἢ φλοαρία παρὰ τὸ ἔ-
ρην ἐν τοῖς χειλέσιν ἔχειν. ἐρεσχε-
λεῖν σημαίνει τὸ ἀπατᾶν ἀπὸ
τοῦ ἐρᾶν καὶ τῆς λέσχης. πολὺ
παρὰ Πλάτωνι· τῷ φιλοσόφῳ καὶ
παρ' Ἰωσῆν.

¹⁾ Quod legimus in schol. ἃ γόνδην Παζλαγόνες φασίν. in Et. Magn. ἃ ἰόνδην Παζλαγόνες καλοῦσιν nihil interest.

cf. Phot.: ἐρεσχελεῖν πολὺ παρά Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ καὶ παρ' Ἰωσὺν γέγονε δὲ ἀπὸ τοῦ ἐράν καὶ ἀπὸ τῆς λέσχη.

Scholiastam Etymologicum exscripsisse et glossam in brevius contraxisse facile perspicias. Idem probat scholion Catapl. 2; p. 42. 19 collatum cum Et. Magno 184, 47:

Schol.

βᾶδην] ἡρέμα παραγενο-
μένου. σημαίνει δὲ καὶ τὸ θάτ-
τον καὶ τὸ ταχέως.

Et. Magn.

βᾶδην ἀπιόντος: ἡρέμα παραγενο-
μένου, ἢ θάττον, ἢ ταχέως.
Μένανδρος: „τὸ δὴ . . .

Scholiasta temere eam explicationem recipit, quae nil nisi ad lemma βᾶδην ἀπιόντος (vel potius ἐπιόντος, quod expectamus) quadrat, cum Lucianus solam vocem βᾶδην exhibeat. Concedendum igitur est et Etymologum scholia et scholiastam aliquod Etymologicum expilasse. Quo concessio accuratius examinandum est, quibusnam rebus singulis in glossis discerni et diiudicari possit, utrum gl. e scholiis, an ex Etymologico sumpta sit. Nonnullis in glossis velut illis, quibus aliae addi possunt, comparatio dubitationem tollit. Sunt tamen aliae, de quibus non statim certum iudicium facias, velut de schol. Iov. trag. 47; p. 82, 22 χηγίσκου]. Hac in re adiuvamur codicibus, quibus singula scholia traduntur. Scholion illud, quod exhibens Etymologus laudat Lucianum, legitur in codd. CS. Scholia codicis C partim Arethae debentur. Contra ea scholia supra allata, quae ex Etymologico hausta esse statui, in uno codice Δ exstant. Respicias, quod supra dixi, cum de Photio agerem: scholia unius codicis Δ plerumque cum Photio congruere et auctorem horum scholiorum solum Photio usum esse. Eundem scholiastam etiam Etymologicum expilasse dico. Qua de causa scholia, si leguntur in solo codice Δ, ex Etymologico, si inveniuntur in Arethae codicibus, i. e. qui Arethae scholiis referti sunt, aut in codice Γ, ab Etymologo recepta esse

statuendum est. Quod affirmatur alia re. Quaestio enim oritur, a quo Etymologo scholia in Etymologico cum translata sint. Hoc quoque discerni posse confido. Si conferimus alia Etymologica, velut Et. Florentinum¹⁾ (das „echte“ Et. Magn.), vel Et. Gudianum, vel Et. Parvum²⁾, nullam earum glossarum, quas pro certo in Et. Magnum e scholiis translatas esse statui, ibi exstare invenimus una excepta τρᾶμιον (cf. schol. Lexiph. 2; p. 191, 17), quae in Et. Genuino (Florent.) p. 284 legitur atque ita, ut totum scholion comprehendat, cūm gl. in Et. Magno 763, 55 exstet usque ad verbum γωρίων³⁾. De hac glossa certo non iudicem; fortasse communi fonti attribuenda est. Scholion scriptum esse videtur ab Aretha. Eae autem glossae, quae ex Etymologico haustae sunt mea sententia, omnes fere in Etym. Florent., Gudiano (plerumque non accurate congruunt), una in Et. Parvo: ἀφίλορον p. 322 (cf. schol. Cal. non cred. 21; p. 27, 11)veniuntur. Dico igitur eum Etymologum, qui Et. Magnum quod dicimus composuit, scholia Lucinae recepisse. Gaudeo, quod Reitzenstein idem iudicat de scholiis Pindaricis; cf. Geschichte der griech. Etym. p. 250: „Ist dies glaublich, so werden wir aber auch z. B. die Pindarscholien, welche zweimal in Glossen zitiert sind, die weder im Genuinum noch Gudianum wiederkehren (450, 46 θῆβη vgl. zu Ol. 6, 144 und 588, 46 Μίτρα; vgl. zu Ol. 9, 125), als Zusätze des Magnum betrachten dürfen.“ Ceterum temporis ratio ut hoc factum esse ab auctore Et. Magni putemus suadet; nam etsi scholia cod. Γ ante Aretham scripta sunt, tamen pars scholiorum cum Et. Magno congruentium Arethae debetur, quatenus hoc concludi potest e codicibus; Arethas autem post illud tempus

¹⁾ cf. Miller, Mélanges de litt. Grecque p. 1—318.

²⁾ Miller, Mélanges: p. 319—340.

³⁾ Vix recte iudicaverit Gaisford adn. „omnia sumpta e schol. Luc.“

fuit, quo Et. Genuinum (Florent.) ortum est. De tempore vide Reitzenst. l. c. p. 68 sq.

Priusquam alteram quaestionem, quo Etymologico scholiasta usus sit, aggrediamur, quae glossae Etymologico debeantur, videamus:

1. Schol. Cal. non cred. 21; p. 27, 11 ἀφίκορον] ~ Et. Magn. 183, 29; Et. Gud. 27, 11; Et. Parv. 322.

2. Schol. Catapl. 2; p. 42, 19 βάδηνη] ~ Et. Magn. 184, 47; Et. Florent. p. 60 (cf. supra p. 29).

3. Schol. Musc. laud. 10; p. 11, 12 ἐρεσεχελούσα] ~ Et. Magn. 371, 1; Et. Florent. p. 125 (cf. supra p. 28).

4. Schol. Conv. 8; p. 30, 20 κλιντηρα] ~ Et. Magn. 520, 26 (cf. supra pag. 28).

5. Schol. Apol. 11; p. 237, 5 ἀνεμώνη] ~ Et. Magn. 104, 5. Et. Florent. p. 33; schol.: διὰ τὸ τὸ φύλλον εὐδιάσει-
στον εἶναι, Et. Magn.: διὰ τὸ τὰ φύλλα εὐδιάσειστα εἶναι et add.
καὶ οἶον ἀνεμαῖα τινὰ εἶναι.

6. Schol. De merced. cond. 15; p. 166, 25 οἶνόφλυξ] ~ Et. Magn. 618, 34; Et. Florent. p. 224.

7. Schol. De die nef. 17; p. 209, 14 βάκηλον] ~ Et. Magn. 185, 18; Et. Florent. p. 60. — Et. Magn.: βάκηλος εἰς μὲν τὸ Λεξικὸν τὸ Ῥητορικὸν εὖρον σημαῖνον οὕτω: μέγας μὲν etc., sequitur prior pars scholii: βάκηλος λέγεται ὁ μέγας μὲν etc. Pergit deinde Etym. εἰς δὲ τοὺς Ἐτυμολογικοὺς ὁ ἀπο-
τετμημένος etc., sequitur altera pars scholii: λέγεται δὲ ὁ ἀπο-
τετμημένος etc. Quod Etym. addit.: οὕτω γὰρ ἐκαλοῦντο οἱ
Γάλλοι etc. schol. om. et add. τουτέστι κολοβός, quae verba
in Etym. desunt. Exscripsit igitur scholiasta utramque ex-
plicationem Etymologi omitta fontium significatione.

8. Schol. Icarom. 17; p. 105, 5 γελούα] ~ Et. Magn. 224, 45. Et. Magn. om. γέλουος γελούου διαφέρει. Et. Gud. 122 discrepat.

9. Schol. De die nef. 27; p. 210, 2 κισσόβιον] ~ Et. Magn. 515, 33. Dissentiunt gl. his in rebus: lin. 2 schol.
ἐκ τοῦ κισσοῦ, Etym. ἀπὸ τοῦ κισσοῦ, lin. 3 verba τὰ νῦν ἰδιωτικῶς

γαλέντζια (cod. γαλέντζια) καλούμενα om. Et.; lin. 4 schol. ζυομένων ποτηρίων, Et. ζυλίων ποτηρίων; ζυλίων etiam Et. Gud. 223, 14 et schol. Theocrit. I, 27, quod plane convenit cum Et. Magno, habent et ego quoque ζυλίων aptius esse existimo. lin. 6 verba (Hesiodos¹) ὀλίγη δὲ ἦδεται κισσυβίῳ add. unus cod. Paris. 346 (Etym.), ubi εἴσεται pro ἦδεται (Athen. ἦδετο). Verba „τὰ νῦν ἰδιωτικῶς γαλέντζια καλούμενα“ propter verba sequentia κοινότερος δὲ καὶ . . . ut opposita sint inter se „τὰ νῦν ἰδιωτικῶς“ et „κοινότερος δὲ καὶ“ desiderare nos negari non potest; sed quoniam etiam in scholio Théocriteo, Et. Gud., Zonara p. 1214. desunt, additamentum ea scholiastae esse putō. Ut res se habeat in Et. Florent. (p. 187) nescio, sed ibi quoque deesse videntur, quia Miller ea, quae codex plura habet quam Et. Magn., addere solet.

De glossis, quas modo attuli, dubitari omnino non potest. Sequantur aliae, quae non ad verbum cum Etymologico conspirant.

10. Schol. Bacch. 2; p. 9, 12 Σειλινοὶ λέγονται τῶν Σατύρων οἱ γέροντες παρὰ τὸ σείσθαι λίαν περὶ τὸν λεγόν. ἴωτα γὰρ ὑφέλει εἶναι τὸ λι. σειληνός ὁ γέρον. Convenit Et. Magn. 710, 9 (cf. Et. Florent. 264). Σειληνός. Σειληνοὶ λέγονται . . . usque ad λεγόν (om. λίαν), quattuor circa lineis infra Σειληνός ὁ γέρον παρὰ τὸ εἶρω etc. Meo iudicio scholiasta hausit ex Etymologico. Sed cum scripturam illam σειληνός non probet, mutat, ceterum autem explicationem recipit. In memoria ei fuisse videtur alia etymologia, quam invenis in Et. Gudiano 497, 35 s. v. Σειληνός: . . . ἢ παρὰ τὸ σείσθαι λίαν. Hanc conglutinat cum illa Etymologici Magni; nam παρὰ τὸ σείσθαι λίαν male concinit cum περὶ τὸν λεγόν. Aut unum aut alterum debebat exhibere, non utrumque.

11. Schol. Saturn. 19; p. 233, 4 κοιτίσι] ~ Et. Magn. 524, 15. cf. Et. Florent. 191; Et. Gud. 333, 9 (ἀπετίθεντο pro ἀποτίθενται).

¹ Quae verba non Hesiodi, sed Callimachi sunt teste Athen. 477 C (Gaisford).

Schol.

κοιτίσει| κοιτίς ἢ μικρά κίστη,
ἐν ἣ κοιταζόμενα αἱ τῶν πλου-
σίων γυναῖκες ἀποτίθενται τὸν
χρόσον αὐτῶν κόσμον.

cf. Hesych. κοιτίς: ἢ μικροτέρα κίστη, ἐν ἣ ὁ γυναικίος
κόσμος ἀπετίθεται.

12. Schol. Prometh. 8; p. 96, 22 διασιλλαίνειν] √ Et.
Magn. 713, 7 s. v. Σίλλοι, cf. Et. Florent. 266 (Philem. lex.
technolog. p. 117 O.). Schol. initio σίλλος ἐπὶ σκωμμάτων κατα
τροπήν... Et. Magn. σίλλοι ἐπισκώματα κατὰ τροπήν... sed
respicias codicem V (Etym.) exhibere σίλλος ἐπὶ σκώματος.
Ceterum glossae accurate congruunt, praeterquam quod
scholiasta post σκώπτειν omittit verba „ὥς λέγει Ἀνακρεών.
τίλλει τοὺς κράμους ἀσπιδιώτης, οἷον σκώπτει καὶ χλευάζει“ et ad-
dit „παρὰ τὸ εἰλεῖσθαι ἐν αὐτοῖς τὰς κήρας“.

13. Schol. De hist. conscr. 33; p. 229, 18 ἐρείπια] √ Et.
Magn. 372, 28. cf. Et. Florent. 125 (Gud. 205).

Schol.

ἐρείπια τὰ εἰς γῆν πεπτωκότα.
ἐρείπω δὲ σημαίνει ἐνέργειαν
καὶ πάθος· σημαίνει γάρ τὸ
καταβάλλω καὶ τὸ πίπτω.

Et. Magn.

ἐρείπω καὶ ἐρείπια· σημαίνει
τοὺς πεπτωκότας τόπους· λέγει
δὲ Δίδυμος...

σημαίνει δὲ καὶ ἐνέργειαν
καὶ πάθος.
τὸ καταβάλλω καὶ τὸ πίπτω.

Omnia scholia adhuc allata in uno codice Δ leguntur.
His adiungam duo alia; primum

14. Schol. Iov. trag. 27; p. 68, 3 βατταρίζειν] ὁ Βάτ-
τος· οὗτος... Exstat scholion in codd. V (saec. XIII) Δ. √ Et.
Magn. 191, 22 (Et. Florent. 62). In Et. Magno legimus
βατταρίζειν εἶρηται τὸ μάλιστ' ἁλῆειν· ἀπὸ τοῦ Βάττου... ἢ δὲ
βαττολογία σημαίνει... Ὁ Βάττος οὗτος τῆς... Omnia quae
sequuntur ad verbum conveniunt cum scholio.

15. Schol. Catapl. 1; p. 41, 2 εἶεν] ∪ Et. Magn. 296, 47.
Schol. Et. Magn.

	εἶεν: ἄγε δὴ συγκατάθεσις μὲν τῶν εἰρημένων, συναφή δὲ πρὸς τὰ μέλλοντα. Γίνεται δὲ ἀπὸ τοῦ εἶα τοῦ
εἶεν] ἔστι καὶ ἀντί	παρακαμμένου ἐπίρρημα εἶεν ἀντί
τοῦ ταῦτα περιορίζει: αὐτά.	τοῦ ταῦτα ἀφορίζει: αὐτά.
ἔστι δὲ καὶ παρακελεύσεως ἀντί	Τὸ αὐτὸ δὲ καλεῖται ἀπόθεσις λόγου.
τοῦ ἄγε δὴ, ὡς ἐνταῦθα.	

Legitur scholion in codd. V_φM (s. XIII et XIV). Scholiastam non totam glossam, quam invenerat, exscripsisse verba ἔστι καὶ docent. Postquam partem glossae recepit, addit eam explicationem, quae apta fuit Luciani loco. Quod cogitari potest; sed cum scholia non in uno illo codice Δ inveniantur, ea ex Etymologico Magno sumpta esse non affirmaverim.

Redeamus ad quaestionem, quae erat de Etymologico, quo scholiasta usus sit. Ex iis, quae dicta sunt, glossas cum Et. Magno exceptis iis, quas postremas attuli, accurate convenire elucet. Non neglegendum est in Et. Florent. (Genuino) duas glossas, ἀφίκορον et κλιντήρα, non inveniri, ut verisimilius sit scholiastam Et. Magnum, non Et. Genuinum inspexisse. Repugnare videtur temporis ratio. Et. Magnum ortum est sententia Reitzensteinii (l. c. p. 252) post a. 1100, ante a. 1160. Duobus locis (schol. Cal. non cred. 17; p. 26, 29 εὐθύς κτλ.] τοῦτο καὶ ἐφ' ἡμῶν γέρονε καὶ τὴν βασιλέως Θεοφανῶ ἐξεμάνη πάς γυναικεία μανία ἀρισποῶν et schol. ibid. p. 27, 3 τὴν Ἀλεξάνδρου — προσεξέκανον: ὡς ὁ μάλιστα Σλοκάκας Λέοντα τὸν βασιλέα ἐξεβάχχενε περὶ Θεοφανοῦς etc.) scholiasta verba facit de rebus, quae spectant ad s. IX, X. Respiciendum tamen est non omnia scholia in uno codice Δ exstantia ab eodem homine scripta, sed partem eorum ex aliis codicibus receptam esse (cf. schol. Iov. trag. 42; p. 76, 4). Accedit, quod schol.

Char. 17; p. 122, 12, in quo Basillii illius mentio fit, et in Δ et in B legitur. Itaque illa quoque duo scholia Arethae attribuenda sunt mea sententia. Idem iudicare videtur Rabe: Die Überl. d. Lucianscholien p. 726. Quae cum ita sint, scholiastam illum, qui Photium usurpavit, etiam Et. Magno usum esse et in saec. XIII. fuisse veri speciem habere videtur; sed in dubio hanc rem relinquam, cum Et. Genuinum, quod Reitzenstein e codd. Laur. Sancti Marci 304 (Florent.) et Vat. graec. 1818 editurus est, nondum in lucem prodierit et Miller lemmata tantum afferat.

Venimus nunc ad alteram partem huius quaestionis, quae est de iis glossis, quas Etymologus a Luciani libris mutuatus est. Quoniam supra (p. 29 sqq.) demonstravimus hoc factum esse atque ab auctore Et. Magni quidem, ut singula scholia enumeremus reliquum est.

1. Schol. Dialog. mort. XIV, 1; p. 258, 8 ἀκέστραν] ~ Et. Magn. 46, 31. Ad verba „τὸ τοῦ δὲ καὶ ἡγήτριον φασιν. ἐπεὶ καὶ ἡγήτρια καὶ ἡγητής“ Rabe adnotat: „scribendum videtur ἡγήτριον,“ quod probo. Gaisford in textum recepit ἡγήτριον, sed codd. VbD (Etym.) exhibent ἡγήτριον.

2. Schol. Iov. trag. 33; p. 71, 7 ἀκροβολισμοῖς] ~ Et. Magn. 53, 44. Duobus locis (lin. 8.) Etym. convenit cum codd. V0Ω ἀλλήλους et βέλεσι. cum codex vetustissimus Γ et Δ habeant ἀλλήλους et βόλους¹⁾.

3. Schol. Dialog. mort. XX, 4; p. 261, 11 ἐφεστρίδα] ~ Et. Magn. 402, 49.

Schol.

Et. Magn.

ἐφεστρίδα] τὸ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις
ἐπίβλημα ἦτοι μανθάν και χλα-
μύδα και πόρπην καλωμένην.

ἐφεστρίς: τὸ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις
ἐπίβλημα [ἦν] μανθάν και χλα-
μύδα και πόρπην καλοῦσιν.

Legitur scholion in codd. BC. Memorabile est codicem C exhibere καλοῦσιν. Non probo, quod Gaisford adnotat:

¹⁾ Gaisford post πρὶν (lin. 7) ἡ' suppl., vix iure.

„Scilicet Scholiastes iste, qui verba Etymologi exscripsit“; contrarie rem se habere dico.

4. Schol. Dialog. deor. XXII, 1; p. 274, 2 θύροισις] ~ Et. Magn. 459, 35. Memorandum est optimum codicem B exhibere ἔτι ἐστὶν ὄρμων, quod idem in codice D Etymologici legimus. Praeterea codd. Etymologici habent παρὰ τὸ συνηχῶς ταῖς μαινάσι κινούμενος¹⁾ et eadem codd. meliores scholiorum BV (V servavit — μενος); in uno codice Ω legimus infinitivum κινεῖσθαι, quod exspectamus. Genuina igitur lectio est κινούμενος; κινεῖσθαι coniectura est librarii alicuius. His verbis alteram glossam ab altera pendere praeclare demonstratur.

5. Schol. Iov. trag. 15; p. 62, 2 Καφηρέα] ~ Et. Magn. 481, 4. De lectionum varietate conferas adn. crit. edit. schol. Brevis adnotatio Καφηρέα] ἀκρωτήριον τῆς Εὐβοίας ~ FV02 in Et. Magno non legitur. Alterum scholion amplum, cuius prior pars in VΔ, altera ἦ ἔτι... in V exstat, totum receptum est.

6. Schol. Philops. 33; p. 164, 18 ἐς Κόπτου] ~ Et. Magn. 552, 12. Etym. pro ὀνομάσθη ὀνόμαστα (lin. 21).

7. Schol. Dialog. mort. XII, 2; p. 256, 21 γέρορα οἰσόνια] ~ Et. Magn. 619, 19. Lin. 22 schol. ἐκ τούτων. Etym. ἐκ τούτων; lin. 27 schol. τῆ στρατοπέδῳ. Etym. τῶ στρατοπέδῳ.

8. Schol. Dialog. meretr. XIV, 2; p. 284, 13 σαπέροδα] ~ Et. Magn. 708, 40. De hac glossa supra diximus p. 27 sq.

9. Schol. Catapl. 24; p. 51, 15 στυματίας] ~ Et. Magn. 727, 52.

10. Schol. Iov. trag. 47; p. 82, 22 χηνίσκος] ~ Et. Magn. 811, 20. Lin. 26 schol. ἔχοι, Etym. ἔχει; lin. 28 schol.

¹⁾ Conferas quod Gaisford adnotat: „κινούμενος pro κινεῖσθαι positum per ellipsin (puto) infinitivi εἶναι ut supra 455, 43 Syll. Debebat esse κινεῖσθαι. Magis vero probarem, si quis pro praecedentibus παρὰ τὸ solum articulum ὁ poneret.“

ἐπετίθεσαν. Etym. ἐτίθειον. Etymologum hoc scholion mutuatum esse e scholio ipso certo conici potest. Constat enim duabus ex partibus. Incipit altera verbis εἰσι δ' οἱ μᾶλλον etc. et ab alio scholiasta addita est; nam prior pars legitur in codd. Γ'VΩΔ, altera in Δ et duabus fere lineis exceptis in V. Etymologus omnia recepit.

Praeter has glossas tres in nonnullis congruunt cum Et. Magno. At neque ex Etymologico (sive Magno, sive Genuino) eas haustas esse puto, quod in codd. Arethae et Γ' (una in Γ₂) leguntur, neque Etymologus eas e scholiis recepit, cum duae in Et. Genuino exstant. Satis habeo eas afferre:

1. Schol. Tim. 51; p. 118, 16 [Ἡλιαία] ~ Et. Magn. 427, 25, Et. Florent. 146.

2. Schol. Deor. conc. 4; p. 211, 10 [μέτρον] ~ Et. Magn. 589, 8, Et. Florent. 216.

3. Schol. Dialog. mort. XX, 9; p. 261, 21 [κινάβραν] ~ Et. Magn. 515, 1. Glossam e scholiis in Et. Magnum translatum non esse iam inde apparet, quod in Et. Magno legitur s. v. κινάβρας.

Scholia modo allata praecipue in codicibus scholiis Arethae refertis exstant. Inveniuntur autem nonnulla in codice Γ' et aliis, ex quo sequitur, ut scriptor eorum scholiorum, quae Etymologus expilavit, et scholiis Arethae et scholiis primae classis (Γ') usus sit. Meo iudicio, si quid suspicari licet, codex ille, quem Etymologus inspexit, codici V (tertia classis), vel codici Ω (quarta classis), quod ad scholia attinet, admodum similis fuisse videtur.

Denique verbo monuerim breves glossas Etymologici cum scholiis congruere; sed non ita inter se cohaerent, ut alteram explicationem ab altera pendere dicas. E. g. Schol. Ver. hist. II, 40; p. 24, 18 [ἀδρότερον] ἀδρός ὁ γυνδρός. ~ Et. Magn. 18, 44 [Ἀδρός: ὁ γυνδρός παρὰ τὸ ἦδω, τὸ εὐφραίνω. . .], vel schol. Icarom. 18; p. 105, 21 [φακός] φακός ὁ ὄμιός, φακὴ δὲ ἡ ἐψηθεῖσα. ~ Et. Magn. 786, 38 ἡ φακάκη ἢ τὰ φαή κακοῦσα,

φακός μὲν ὁ ὤμος, φακὴ δὲ ἡ ἐψηθεῖσα; vel schol. Lexiph. 21; p. 202, 1 [ἴκταρ] Πλατωνικόν τοῦτο καὶ σημαίνει τὸ ἐγγός. ~ Et. Magn. 470, 90. Ἰκταρ ἀπὸ τοῦ . . . Πλάτων ἀντὶ τοῦ ἐγγός τιθεῖ, οἶον . . .

4. De Athenaeo.

Iacobitz, scholiorum editor prior, versus Antiphanis, qui afferuntur in scholio Lexiph. 3; p. 198, 25 (Rabe), in quo de cottabi ludo agitur, contulit cum Athen. XV, 666f. (cf. edit. tom. IV, p. 148 adn.), sed melius congruunt iidem versus quomodo afferuntur XI, 487 de, loco a Rabio (p. 194 adn.) citato. Praeterea quae antecedunt verba et quae sequuntur componenda sunt cum duobus aliis locis Athenaei XV, 667e et XI, 479 de. Videamus:

Schol. Lexiph. 3; pag. 193, 25.

λαταγεῖν κοττάβου] οἱ ἀκριβέστερον περὶ κοττάβων διαλαβόντες ὄνομασιν εἶναι κοττάβων εἶδη, κατακτῶν καὶ δι' ὄξυβάφων. ὁ μὲν οὖν κατακτῶς τοιοῦτος· ἦν τι οἶονεῖ λυχνεῖον ὑψηλὸν ἔχον ἐν ἑαυτῷ πρόσωπόν τι. ὃ ἐκαλεῖτο μάνης, ἐφ' οὗ εἶδει πεσεῖν τὴν καταβαλλομένην πλάστιγγα. ὡς Ἀριστοφάνης φησί: „γενήσεται σοι τῶν κατακτῶν κοττάβων.“ ὁ δὲ δι' ὄξυβάφων τοιοῦτος· ἀγγεῖόν τι λουτηριδίῳ εἰκότως πλήρες ὕδατος ἐτίθετο ὄξυβάφων κενῶν ἐπιπλεόντων, ἅπερ ἦν καταδύειν ταῖς ἀπὸ τῶν στομάτων προϊούσας λάταξιν ὁ ἀγών.

Athenaeus. XV, 667e.

τὸ δὲ καλούμενον κατακτῶν κοττάβιον τοιοῦτόν ἐστιν. λυχνόν ἐστὶν ὑψηλόν, ἔχον τὸν μάνην καλούμενον. ἐφ' οὗ τὴν καταβαλλομένην εἶδει πεσεῖν πλάστιγγα. ἐντεῦθεν δὲ πίπτειν εἰς λεκάνην ὑποκειμένην πληγεῖσαν τῷ κοττάβῳ. καὶ τις ἦν ἀκριβής εὐχέρεια τῆς βολῆς· μνημονεύει δὲ τοῦ μάνου Νικοχάρης ἐν Λάκωσι. ἕτερον δ' ἐστὶν εἶδος παιδίας τῆς ἐν λεκάνῃ· αὕτη δ' ὕδατος πληροῦται ἐπιπέσει τε ἐπ' αὐτῆς ὄξυβάφα κενά. ἐφ' ἃ βάλλοντες τὰς λάταξας ἐκ καρχησίων ἐπειρῶντο καταδύειν· ἀνηρείτο δὲ τὰ κοττάβια ὁ πλείων καταδύσας. Ἄμειφίαις

Athen. XI, 487 de.

Ἀντιφάνης Ἀφροδίτης γοναῖς
ἐγὼ ἰπιδείξω, καθὼς ἂν τὸν κότταβον
φείτῃ ἐπὶ τῆν πλάστιγγα ποιήσης πεσεῖν.
λάστιγγα ποῖαν; τοῦτο τὸ ὑποκείμενον
νοῦ τὸ μικρόν, τὸ πινακίσκιον λέγεις;
οὐτ' ἐστὶ πλάστιγγ' ἐάν μόνον τύχη

ὑτῆς, ἐπὶ τὸν μάνην πεσεῖται.“

Ἀντιφάνης Ἀφροδίτης Γοναῖς
„ἐγὼ ἰπιδείξω καθ' ἑν' ὅς ἂν τὸν κότταβον
ἀφείτῃ ἐπὶ τῆν πλάστιγγα (ποιήσῃ πεσεῖν —
B. πλάστιγγα); ποῖαν; τοῦτο τοῦ υποκείμενον
ἄνω τὸ μικρόν, τὸ πινακίσκιον λέγεις;
A. τοῦτ' ἐστὶ πλάστιγγ' — οὗτος ὁ κρατῶν
γίνεται.

B. πῶς δ' εἴσεται τις τοῦτ'; A. ἐάν τύχη μόνον
αὐτῆς, ἐπὶ τὸν μάνην πεσεῖται καὶ ψόφος
ἔσται πάνυ πολὺς. B. πρὸς θεῶν, τῷ κοττάβῳ
πρόσσεσι καὶ Μάνης τις ὡσπερ οἰκέτης;“

Athen. XI, 479 de.

ἀρῆλθε δὲ ὁ κότταβος εἰς τὰ συμπόσια ἀπὸ
ἄνω περὶ Σικελίαν

πρῶτον εἰσαγαγόντων.

ὁ καλούμενος κότταβος παρῆλθεν εἰς τὰ
συμπόσια τῶν περὶ Σικελίαν, ὡς φησὶν
Δικαιάρχος πρῶτον εἰσαγαγόντων, τοσαύτη
δὲ ἐγένετο σπουδὴ περὶ τὸ ἐπιτήδευμα ὥστε εἰς
τὰ συμπόσια παρεισφύρειν ἄθλα κοτταβεῖα κα-
λούμενα, εἶτα κύλικες αἰ πρὸς τὸ πρᾶγμα γρή-
σμαι μάλιστα εἶναι δοκοῦσαι κατεσκευάζοντο,
καλούμεναι κοτταβίδες, πρὸς δὲ τούτοις οἴ-
κοι κατεσκευάζοντο κυλλοτερεῖς, ἵνα πάντες
εἰς τὸ μέσον τοῦ κοττάβου τεθέντες εἴς ἀπο-
στήματος ἴσου καὶ τόπων ὁμοίων ἀγωνίζονται
περὶ τῆς νίκης, οὐ γὰρ μόνον ἐφιλοτιμούνται
βάλλειν ἐπὶ τὸν σκοπόν, ἀλλὰ καὶ καλῶς
ἕκαστα αὐτῶν, ἔδει γὰρ εἰς τὸν ἀριστερόν
ἀγκῶνα ἐρείσαντα καὶ τῆν δεξιάν ἀγκυλώσαντα
ὕψωσ ἀφείναι τῆν λάταγα· οὕτω γὰρ ἕκα-
λουν τὸ πίπτον ἐκ τῆς κύλικος ὕψωσ· ὥστε
ἐνιοὶ μείζον φρονούν ἐπὶ τῷ καλῶς κοτταβί-
ζειν τῶν ἐπὶ τῷ ἀκοντίζειν μείγα φρονούν-
των.

πρὸς δὲ τούτοις κυλλοτερεῖς ἐποιούντο
ἰθεῖνοι, ἵνα πάντες εἰς τὸ μέσον τεθέντες
οὐ κοττάβου ἔχουσιν εἴς ἴσον τῶν ἀποστάσεων
καὶ λάταξι βάλλειν καὶ περὶ νίκης ἀγωνί-
ζεσθαι, οὐ τῷ βάλλειν δὲ μόνον ἐφιλοτι-
μούνται, ἀλλὰ καὶ τῷ καλῶς· ἐπὶ γὰρ τοῦ
ἀριστεροῦ ἀγκῶνος τις ἑαυτὸν ἐπερείσας
ἠγρῶς ἀφείη τῆν λάταγα,

ὡς ἐνίουσ μείγα
φρονεῖν ἐπὶ τῷ κοτταβίζειν ἢ ἐπὶ τῷ ἀκοντί-
ζειν, δοκεῖ δὲ μοι καὶ τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ
κοττίζειν ἀπὸ τούτου βαρβάρως καὶ περι-
κεκοιμένως εἰρησθαι.

Quid haec docet comparatio? Verborum consensum magnum esse et partim scholion cum Athenaei verbis plane consentire videmus. Plerumque scholiasta ea, quae Athen. tradit, in brevius contraxit. Initio tamen schollii quam legimus divisionem: οἱ ἀκριβέστεροι περὶ κοττάβων διαλαβόντες δύο φασὶν εἶναι κοττάβων εἶδη κατακτῶν καὶ δι' ὄξυβάφων Athen. omittit. Etiam verba paulo infra sequentia: ἔχον ἐν ἑαυτῷ πρόσωπόν τι in Athenaei libro desiderantur; maxime mirum est, quod deest versus ille Aristophanis (Pac. 1244): γεννῆσεται σοι τῶν κατακτῶν κοττάβων. Quae cum ita se habēant, Athenaeum fontem fuisse fortasse neges. Accedit aliud. Ad illum versum Aristophanis (Pac. 1244) scholion satis longum ascriptum est maximam partem ex Athenaeo haustum. Hanc partem ex Athenaeo sumptam antecedunt verba, quae mirum in modum conveniunt cum scholio Luciano:

Schol. Luc. I. c.

Schol. Aristoph. I. c.

καταγεῖν κοττάβους] οἱ ἀκριβέστερον περὶ κοττάβων διαλαβόντες δύο φασὶν εἶναι κοττάβων εἶδη, κατακτῶν καὶ δι' ὄξυβάφων. ὁ μὲν οὖν κατακτῶς τοιοῦτος ἦν τι οἶονεῖ λυχγεῖον ὕψηλόν ἔχον ἐν ἑαυτῷ πρόσωπόν τι ὃ ἐκαλεῖτο μάνης, ἐφ' οὗ εἶδει πεσεῖν τὴν καταβαλλομένην πλάστιγγα, ὡς ἼΑρι στο φάνης φησὶ 'γεννῆσεται σοι τῶν κατακτῶν κοττάβων'. ὁ δὲ δι' ὄξυβάφων τοιοῦτος ἀγχεῖόν τι λουτηριδίῳ εὐοικὸς πληρες ὕδατος ἐτίθητο ὄξυβάφων κενῶν ἐπιπλέοντων, ἅπερ ἦν καταδύειν ταῖς ἀπὸ τῶν στομάτων προοῦσαι λάταξιν ὁ ἀγών.

Ἄλλως, τῶν κοττάβων δύο ἦσαν εἶδη, ἐν μὲν τοῦ κατακτῶς λεγόμενου ἦν δὲ οἶον λυχγεῖον ὕψηλόν, ἔχον ἐν αὐτῷ πρόσωπον, ὃν μάνην ἐκαλοῦν, ἐφ' οὗ εἶδει πεσεῖν καταβαλλομένην τὴν πλάστιγγα.

ἕτερον δὲ ἀγχεῖόν τι εὐοικὸς λουτηρίῳ πληρες ὕδατος, ἐν ᾧ ὄξυβάφων ἦν ἐπιπλέον τὸ πλῆθος, ὅπερ καταδύειν ταῖς λάταξιν ἐπειρῶντο.

Quae verba scholiorum accuratius inter se congruere quam schol. Luc. et Athen. nemo non concedet; praecipue respicias illa verba ἔχον ἐν ἑαυτῷ πρόσωπόν τι, quae in Athenaeo plane desunt. Sequuntur in scholio Aristophaneo verba: Ἄλλως Ἀθῆναιος ἐν ἐ' φησίν, ὅτι . . . quae usque ad finem omnia ex Athenaeo sumpta sunt. Haec res etiam quae antecedunt verba ad Athenaeum referri vix sinit; cogitari tamen potest verbo ἄλλως alium scholiastam fontem suum laudantem explicationem adiungere, ut antecedentia quoque verba quominus Athenaeo debeantur nihil obstat. Sed redeamus ad scholion Luc. Meo iudicio hoc modo omnes difficultates facile tolluntur: Arethae cum de cottabi ludo verba facturus esset, in memoriam venit versus ille Aristophanis, evolvit librum et simul scholia ascripta partim recepit. Quod inauditum non esse edocemur schol. Rhetor. praec. 11; p. 178, 17, quod scholion idem Arethae debetur; nam tota illa vita Agathonis poetae invenitur in schol. Plat. Conv. 172 A (p. 255 H.) exceptis verbis ὡς Πλάτων ὁ φιλόσοφος ἐν Συμπόσιῳ. Quin etiam Aristophanes ipse exemplum nobis praebet; cf. schol. Musc. laud. 2; p. 10, 17 et schol. ad versus Aristoph. (Nub. 157), quos affert scholiasta (Arethas). Etiam verba, quae sequuntur post versum Aristophanis, e scholio Aristoph. recepta esse puto, quod melius cum eo congruunt quam cum Athenaeo, etsi adiectivum κενῶν in scholio Aristoph. deest, in Athenaeo non item. Reliqua autem verba ex ipso Athenaeo hausta esse pro certo affirmari potest. Versus Antiphanis etiam in libro XV. 666 f. ut iam diximus, inveniuntur, sed illo loco complures versus antecedunt, praeterea illic non ἐγὼ 'πιδείξω legimus, sed lectionis varietatem ἐγὼ διδάξω. Sub finem versuum scholiasta verba Antiphanis (487 de) contraxit. Post verbum πλάστειξ omittit unum fere versum, adnectit statim sequentis versus alteram partem ἐὰν μόνον etc., subsistit post πεσεῖται. Tertia pars scholii aperte demonstrat scholiastam Athenaeum exscripsisse. Recepit enim ea omnia, quae Athe-

naeus debet Dicaearcho, ita tamen, ut nonnulla contraheret, Initio omnia ad verbum inter se congruunt omissis in scholio fonte, e quo Athenaeus hausit :

schol. Luc.

παρήλθε δὲ ὁ κότταβος εἰς
τὰ συμπόσια ἀπὸ τῶν περὶ Σικε-
λίαν πρῶ-
των εἰσαγαγόντων . . .

Athen.

ὁ καλούμενος κότταβος παρήλθεν
εἰς τὰ συμπόσια τῶν περὶ Σικε-
λίαν ὡς ψησιν Δικαίαρχος πρῶ-
των εἰσαγαγόντων . . .

Deinde quae succedunt in Athenaeo scholiasta neglexit, ut verba πρὸς δὲ τούτοις, ut in scholio leguntur, sensu careant. Reliqua quoque verba Dicaearchi scholiasta contraxit, diligenter tamen et cum iudicio.

Quoniam Athenaeum uno loco in usum vocatum esse demonstravimus, fortasse alibi quoque eum fontem fuisse expectaveris; sed unum tantum scholion cum Athenaeo convenire inveni: schol. Bacch. 1; p. 9, 5 κόρδακα] σίκινυς σατυρική ὄρχησις. ἐμμέλεια δὲ τραγική, κόρδαξ δὲ κωμική. cf. Athen. I, 20 c: τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια καὶ τῆς σατυρικῆς, ἣ ἐλέγετο σίκινυς. Scholion cum Arethae non debeat (legitur in codice Δ et antecedit alia explicatio Arethae (codd. BNOΩΔ)), ex Athenaeo mea sententia sumptum non est. Scholiasta lexico aliquo usus esse videtur, ut Athenaeus. Eadem explicatio invenitur schol. Aristoph. Nub. 540: τρία εἶδη ὄρχήσεως· ἐμμέλεια μὲν τραγική, etc.

Caput II.

1. De scholiis mythographicis.

Initium quaestionis capiamus ab Apollodori bibliotheca. In fronte ponam schol. Iov. trag. 21; p. 65, 8, in quo de hominibus scelestis agitur. De Pityocamppte Rabe comparat Apollod. III, 16, 2¹⁻². Scholiasta eandem narrationem exhibet atque Apollodorus in brevius contractam. cf. schol.: οὗτος λεηστής ὃν ἔκαμπε πίτους καὶ ἡγάγκαζε τοὺς παριόντας κρατεῖν. οἱ δ' ἀναρριπτόμενοι ἀπόλλυντο. Apollod.: ἡγάγκαζε τοὺς παριόντας πίτους καμπτουνας ἀνέχεσθαι· οἱ δὲ διὰ τὴν ἀσθένειαν οὐκ ἐδύναντο κάμπτειν καὶ ὑπὸ τῶν δένδρων ἀναρριπτόμενοι πανόληθρος ἀπόλλυντο. Ex hoc verborum consensu coniecicis fortasse scholiastam Apollodorum in brevius coegisse. Hoc tamen se ita non habere docere mihi videntur verba, quae scholiasta facit eodem in scholio de Cercyone¹⁾. Haec enim non tam cum Apollodoro congruunt quam cum Pausania (cf. I, 39³). Pausaniae narratio ad verbum fere convenit cum scholio; sub finem Pausaniae verba circumcisa sunt:

Schol.

Κερκυῶν. οὗτος ἀδικὸς ἦν
τ' ἄλλα ἐς τοὺς ξένους καὶ
παλαίην τὸν οὐ βουλομένον
διεφθειρεν. καὶ ὁ τοπος παλαιστρα
ἐκαλεῖτο. ἐν ᾧ ὄκει. πλησίον
Ἐλευθερῶν· διεφθειρε δὲ . . .

Paus.

εἶναι δὲ Κερκυῶν λέγεται καὶ
τὰ ἄλλα ἀδικὸς ἐς τοὺς ξένους
καὶ παλαίην οὐ βουλομένους,
καὶ ὁ τοπος οὗτος παλαιστρα
καὶ ἐς ἐμὲ ἐκαλεῖτο Κερκυῶνος,
ὀλίγον τοῦ τάρου τῆς Ἀλόπης
ἀπέχων . . .

¹⁾ Quae legimus de Scirone conferenda sunt cum Apollod. epit. I, 2, Diod. IV, 59, 4.

Ultima haec verba, quae sunt de situ palaestrae, non consentiunt cum Pausania; erratum scholiographi aut eius auctoris statuimus. Palaestra enim illa non prope Eleutheras sita erat, sed prope Eleusina, quod cognoscas ex ipsis Pausaniae verbis (nam Alope fons dicitur apud Eleusina) et affirmatur aliorum scriptorum testimoniis, cf. Plut. Thes. 11, Diod. IV, 59, 4. Haec omnia si respicimus, scholiastam his in rebus neque Apollodorum, neque Pausaniam adhibuisse, quamvis magnus sit consensus, maxime cum Pausania, persuasum ipse habeo, sed praesto ei fuisse catalogum quendam hominum scelestorum, quales olim exstis-
tisse demonstratur catalogis illis, qui in Hygini libro leguntur.

Sed redeamus ad Apollodorum et conferamus schol. Iov. conf. 8; p. 55, 21 cum Apollod. III, 10, 2⁸⁻¹⁰. Res est de Aesculapio a Iove in servitutem Admeti dato. Enarratio ipsa consentit atque etiam verborum consensum satis magnum videmus. Velim conferas haec:

Schol.

Apollod.

καὶ ὄργισθεὶς ὁ Ζεὺς ἐκεραύ-
νωσεν αὐτόν. ἐπὶ τούτῳ λυπη-
θεὶς Ἀπόλλων τοὺς Κόκλωπας
τοὺς εἰωθότας κατασκευάζειν
τοὺς κεραυνοὺς κατετόξευσεν.

Ζεὺς δὲ φοβηθεὶς ἐκεραύ-
νωσεν αὐτόν καὶ διὰ τούτου Ἀπόλ-
λων κτείνει Κόκλωπας τοὺς
τὸν κεραυνὸν Διὶ κατασκευάσαν-
τας.

Quod scholiasta narrationem Apollodori in brevius con-
traxit mirum non est. Hoc eum fecisse in aliis quoque
scholiis videbimus. Cur ea omiserit, quae Apollod. in fine
addit: ὁ δὲ παραγενόμενος εἰς Φεράς πρὸς Ἀδμητῶν τὸν Φέρητος
τούτῳ λατρεύων ἐποίησεν καὶ τὰς θηλείας βίας πάσας διδουπότας
ἐποίησεν, non difficile sit cognitu. Si iam hoc ex scholio
suspiciari licet Apollodori bibliothecam uni certe scholiastae
notam fuisse, haec coniectura fulcitur aliis explicationibus
eo ex fonte mea sententia haustis.

Primum afferam schol. Gall. 19; p. 92, 20 continens

fabulam de Tiresia inter Iovem et Iunonem arbitro. ~ Apollod. III, 6, 7⁴⁻⁵. Scholiasta de eo, quod Tiresias passus est in Cyllenio monte, nihil dicit, sed verba ὡς ἔμπειρον ὄντα τῶν δύο aperte demonstrant auctorem, quem sequitur scholiasta, etiam illas res enarrasse. Scholiasta igitur, obscoene dictum omittit brevi eius rei verbis ὡς ἔμπειρον ὄντα τῶν δύο' mentione facta. Praeterea compares verba schol.: καὶ ὀργισθεῖσα ἡ Ἥρα ἐτόφλωσεν αὐτόν. ὁ δὲ Ζεὺς παρεμυθήσατο τῇ μαντικῇ. Apollod.: Ἥρα μὲν αὐτόν ἐτόφλωσε. Ζεὺς δὲ τὴν μαντικὴν αὐτῷ ἔδωκεν.

Sequatur schol. Icarom. 12; p. 103, 19 καθάπερ ὁ Λυγκεύς] αὐτὸς λέγεται ὀξυδερκέστατος εἶναι. ὥστε καὶ τὰ ὑπὸ γῆν βλέπειν; cf. Apollod. III, 10, 2¹ Λυγκεύς δὲ ὀξυδερκίᾳ διήνεγκεν. ὡς καὶ τὰ ὑπὸ γῆν θεωρεῖν¹⁾).

Accedunt alia scholia, quae ad Apollodorum reduxerim: schol. Dial. mar. XIV, 1; p. 268, 2 (de Cassiepia, Andromeda, Perseo). Fabula ipsa, quam narrat scholiastes, plane cum Apollodoro congruit, sed valde circumcisa est, et scholiasta consulto magnae brevitati studuisse maxime ex ultimis eius verbis apparet: ἐδόθη (sc. Andromeda) καὶ ἔλθῶν ὁ Περσεὺς ἔσωσεν αὐτήν, de qua re Apollod. multa verba facit.

In schol. Conv. 30; p. 33, 10 scholiasta breviter monet: ὁ γὰρ Οἰνέως ἐπὶ τὴν θυσίαν τὴν Ἄρτεριν οὐκ ἐκάλεσεν, quod idem prodit Apollod. I, 8, 2¹ (Anton. Lib. II., 2).

In schol. Gall. 13; p. 90, 26 agitur de Acrisii regis filia Danaë a Iove corrupta. Apud Apollod. II, 4¹ legimus: ταύτην μὲν ὡς ἔνοιε λέγουσιν ἐφθείρε Προῖτος, ὅθεν αὐτοῖς καὶ ἡ στάσις ἐκινήθη. ὡς δὲ ἔνοιε φασὶ Ζεὺς μεταμορφωθείς εἰς χρυσὸν etc. De Proeto scholia nihil dicunt. Etsi haec res Apollodorum fontem fuisse primo obtutu ut putemus dissuadet, tamen haec difficultas facile tollitur. Disputat enim illo loco

¹⁾ Schol. Plat. epist. Z 344 a (391 H.): Λυγκέα φασὶ τὸν Ἀφραίως καὶ Ἀργήης οὕτω γενέσθαι ὀξυδερκῆ. ὡς καὶ τὰ ὑπὸ γῆν βλέπειν. ἀφ' οὗ καὶ ἡ παροιμία.

Lucianus de Iove; quid mirum, quod scholiasta de Proeto nihil narrat? Accedit, quod ceterum explicationes perbene congruunt; e. gr. fabula Hygini (63 p. 61 Sch.) discedit a scholio et ab Apollodoro. In eius narratione Acrisius filiam, in muro lapideo praeclusit'. (cf. Mythogr. Vat. I, 157, Soph. Antig. 944 sqq.)

Adiungam schol. Icarom 19; p. 105, 26, in quo agitur de origine Myrmidonum. Scholiasta rem accuratius exponit quam Apollod., qui breviter hoc tradit III, 12, 6^b: τούτῳ (sc. Aeaci) Ζεὺς ὄντι μόνῳ ἐν τῇ νήσῳ τοὺς μύρμηκας ἀνθρώπους ἐποίησε. Apollodori narrationem olim ampliolem fuisse pro certo habeo, quoniam bibliotheca non integra ad nos pervenit. Fortasse similis fuit illi, quae exstat in Hygini fab. 52 et quae comparari potest cum scholio. Schol.: θεωρῶν τὴν αὐτοῦ χώραν ἀλίγανδρον οὖσαν γῦξαστο τῷ Διὶ· ὁ δὲ τοὺς μύρμηκας ἀνθρώπους ἐποίησε καὶ διὰ τοῦτο Μυρμιδόνες κέκληνται. Hyg: Quod cum amissis sociis Aeacus prae paucitate hominum morari non posset, formicas intuens petiit a Iove, ut homines in praesidio sibi daret. Tunc Jupiter formicas in homines transfiguravit, qui Myrmidones sunt appellati, quod graece formicae myrmices dicuntur etc. Quae cum ita sint, haud scio, an scholiasta codice pleniore usus sit. Alio enim quoque loco scholiastes accuratius refert quam Apollod. cf. ad Iov. trag. 17; p. 57, 21 (de Tityo): κολάζετα: ἐν τῷ Ἄιδῳ· αὐτοῦ γὰρ ἐν τῷ ἐδάφει ἐξηλωμένου παρακαθήμενοι οἱ γῦπες τὸ ἦπαρ αὐτοῦ κατεσθίουσιν. cf. Apollod. I, 4, 1⁴: κολάζετα: δὲ καὶ μετὰ θάνατον· γῦπες γὰρ αὐτοῦ τὴν καρδίαν ἐν Ἄιδου ἐσθίουσιν. Certum autem iudicium facere non licet, cum scholiasta, ut vidimus, nusquam narrationem, quam invenit, accurate transferre, sed decurtare soleat.

His addendae sunt nonnullae explicationes mythographicae, quae similes non solum apud Apollodorum, sed etiam apud alios scriptores, praecipue Diodorum, inveniuntur. Schol. Iov. conf. 8; p. 55, 1. (Prometheus igne furto subducto Caucaso monti affigitur) Apollodoro vindi-

candum esse puto (cf. I. 7¹), cuius fabulam Schol. contraxit. Similia etiam Diodorus tradit IV, 15², sed nimis breviter. Caucasii montis mentionem omnino non facit.

Quod schol. Conv. 14; p. 31, 17 legimus Herculem a Pholo Centauro hospitio receptum esse, et ab Apollodoro II, 5¹ et a Diodoro IV, 12³ (cf. Athen. 299 d) traditur.

De Nisi regis coma purpurea (schol. De sacr. 15; p. 150, 16) refert Apollod. III, 15⁴, Paus. I, 19¹. Paus. eo discrepat et a scholio et ab Apollod., quod dicit τριγας ἐν τῇ κεφαλῇ οἱ πορφυράς εἶναι, schol. μίαν τριγα, Apollod. πορφυρέαν . . . τριγα. Praeterea et Paus. et Apollod. Acrisium ipsum coma purpurea praecisa moriturum esse produnt, cum Schol. dicat τὴν πύλιν ἀπολέσθαι (cf. Hyg. fab. 198: tam diu eum regnaturum, quamdiu . . .). Pausaniae scholion attribuendum non est atque etiam de Apollodoro ambigere possis.

Omnia scholia mythographica adhuc allata in iisdem fere codicibus leguntur, omnia adnotatiuncula de Oeneo excepta in codice vetustissimo I'. Quare omnia ad unum scholiastam reducenda censeo, qui Apollodori bibliotheca usus est. Arethas, si quid ex his scholiis mythographicis conicere licet, Apollodori bibliothecam non novisse videtur. Adiungam unum scholion: Pisc. 12; 132, 23 continens fabulam de Ixione et Iunone. Scriptum est ab Aretha. Narratio ipsa similis est ei, quam proferunt Apollod. epit. I, 20 et Diod. IV, 69⁴⁻⁵, sed eo differunt, quod et Apollod. tradit: ὁ Ζεὺς . . . νεφέλην ἐξείκασας Ἥραν παρέκλινεν αὐτῇ¹) et Diod.: τὸν μὲν Δία εἰδωλὸν ποιήσαντα τῆν Ἥραν . . ., cum in scholio legamus: τὴν Ἥραν χαρίζομένην αὐτῷ, νεφέλην εἰς ἑαυτὴν ἀπεικάσασαν . . . Praeterea etymologia, quam addit Arethas, neque apud Apollod. neque apud Diod. invenitur. (cf. schol. καὶ τὸ σύμπτωμα εἰς ὄνομα ἔλαβον· παρὰ γὰρ τὸ τὴν ἄβραν κεντεῖν τὸν Ἰξίονα . . . cf. Et. Magn. 503, 50: ἀπὸ τοῦ τὸν πατέρα αὐτοῦ Ἰξίονα κεντεῖν τὴν ἄβραν.)

¹) cf. Schol. II. A. 268: Ζεὺς δὲ . . . νεφέλην ἐξείκασας Ἥρα παρέκλινεν αὐτῷ.

Iam transeamus ad Diodorum, cuius uno loco mentio fit, cf. schol. Dialog. meretr. V, 4; p. 277, 14, ubi scholiasta de mutatione Tiresiae agens Diodorum similem Callus fortunam narrantem (cf. 32, 11) affert. De eo, quod scholiasta prodit s. f. καὶ — ἐπανελεῖσθαι, tacet Diodorus. Ad-
dit igitur scholiasta aliquid, quod ei alio ex fonte in memoria erat; item in schol. Rhetor. praec. 18; p. 179, 13. Scholiastam (fortasse Aretham, inest scholion in codd. VCU) Diodorum ipsum inspexisse certum est. Num aliis quoque locis Diodorus adhibitus sit si quaerimus, primum tractemus schol. Philops. 19; p. 163, 20, in quo de Daedali operibus artificiosis agitur ita, ut quae vulgo traditur fabula opera Daedali se movisse et ambulasse refutetur. Convenit scholion mirum in modum cum scholii Plat. Euthyphr. 11B altera parte, quod Rabe affert. Scholion illud Platonium legitur in cod. Clarkiano (cf. Schanz: Nov. comm. Plat. p. 121), quem in usum Arethae scriptum esse scimus. Itaque si schol. Lucianum in codice aliquo Arethae scholiis referto legeretur, dubium non esset, quin aut utrumque scholion Arethae vindicandum, aut hoc schol. Luc. ab Aretha ex illo cod. Clark. in cod. Luc. transcriptum esset; nam non omnia scholia codicis Clark. Arethae ipsi debentur, longe plurima e vetustiore libro in Cl. translata sunt¹⁾. Sed legitur scholion in codd. ΓVΦ et ceterum nihil inveni, unde etiam scholia Luc. primae classis (cod. Γ) cum scholiis Platoniciis cohaerere coniecimus. Qua de causa hoc scholion inde sumptum esse nescio an verisimile non sit. Sed utut haec se habent, si fontem illarum explicationum quaerimus, primum apud Diodorum IV, 76²⁻³) similia legimus, cf. schol.: ἐπειδὴ πρῶτος Δαίδαλος ἀγάλμα εἰργάσατο περισκελές. Diod.: πρῶτος δὲ ὀρματώσας καὶ διαβεβηκότα τὰ σκέλη ποιήσας. ... sed aptius comparatur, quae Palae-phatus tradit

¹⁾ Th. Mettauer: De Platonis scholiorum fontibus. Diss. Zürich 1820, p. 115.

²⁾ Rabe adnotat Diodori locum.

περὶ ἀπίστων XXI (Myth. Gr. III, 2; p. 29 W.) praecipue respicias, quo modo sollemnis de Daedali operibus quae fertur fabula reiciatur.

Ceterum conferas schol. De sacr. I, p. 148, 15 (de Meleagro) cum Diod. IV, 34, 3 sqq. (cf. schol. Aristoph. Ran. 1238) et schol. Dialog. mar. XV, 2; p. 272, 13 (de Deianira) cum Diod. IV, 37⁴ sqq.; attamen narrationes satis longae non tantopere inter se concinunt, ut Diodorum fontem fuisse affirmari possit.

De Strabone hoc primum in universum dicam. Duobus locis Strabo commemoratur, primum schol. De dom. 1; p. 15, 19 (de Cydno flumine), deinde schol. Icarom. 1; p. 99, 11, ubi parasanga quid valeat exponitur. Cum priore loco verba e Strabone ipso hausta sint (ab Aretha cod. B), altera illa explicatio de parasanga grammatica est et a scholiasta e lexico aliquo recepta esse videtur. Unum certe scholiastam Strabone usum esse scholion illud demonstrat.

Etiam in Strabone paucas fabulas similiter atque in scholiis traditas invenimus. Primum conferamus schol. Char. 8; p. 121, 9 (fabulam, quae narratur de Milone Crotoniate) cum Strab. VI, 1¹² C 263, quem locum citat Rabe. Affinitas narrationum atque etiam verborum consensus tantus est, ut hoc scholion ad Strabonem reducendum esse pro certo haberi possit. Omnia afferre longum est, finem fabulae componam:

Schol.

ὡς βαδίξαι ποτέ παρ' ὄλην τινὰ οὗτος καὶ παραβαίῃ μὲν τὴν ὄδον ἐπὶ πολὺ, περιτύχει δὲ κορμῷ μεγάλῳ κατεσφηνωμένῳ, ὃν βιάζομένου πρὸς τὴν διάστασιν τοὺς σφῆνας μὲν καταπεσεῖν, αὐτὸν δὲ περισχεθέντα τῇ συμπτώσει τῶν

Strab.

λέγεται γοῦν ὁδοπορῶν ποτε δι' ὄλης βαθείας παραβῆναι τὴν ὄδον ἐπὶ πλεόν, εἶθ' εὐρών ξύλον μέγα ἐσφηνωμένον ἐμβαλὼν χειρας ἅμα καὶ πόδας εἰς τὴν διάστασιν βιάζεσθαι πρὸς τὸ διαστήσαι τελέως· τοσοῦτων δ' ἴσχυσε μόνον, ὥστ' ἐκπεσεῖν τοὺς σφῆ-

μερῶν ἀφύκτων πάγῃ θηρίων νατ, εἴτ' εὐθύς ἐπισυμπεσεῖν τὰ
 ὑπάρξαι θούνην. μέρη τοῦ ξύλου, ἀποληφθέντα
 δ' αὐτῶν ἐν τῇ τοιαύτῃ πάγῃ θηρό-
 βρωτων γενέσθαι.

Minus certo iudicem de Daedali et Icarī fabula (schol. Icarom. 3; p. 99. 29). Narratur a Strabone XIV, C 639 et ab Arriane (Anab. VII, 20⁵), sed Strabonis verba propius ad scholion accedunt.

In scholio De sacr. 15; p. 150, 13 scholiasta de Api breviter dicit: ὁ Ἄπις ἐν ταῖς ἀγέλαις τῶν Αἰγυπτίων εὐρίσκεται βούς ὢν καὶ ἔχων τινὰ ἴδια σημεῖα. Fortasse his verbis comprehendit, quod Strabo accuratius exponit XVII, C 807: ὅπου ὁ βούς ὁ Ἄπις ἐν σηκῷ τινι τρέφεται. θεός ὡς ἔφηρν νομιζόμενος, διάλευκος τὸ μέτωπον καὶ ἄλλα τινὰ μικρὰ τοῦ σώματος, τ' ἄλλα δὲ μέλας. οἷς σημεῖοις ἀεὶ κρίνουσι τὸν ἐπιτήδειον εἰς τὴν διαδοχὴν ἀπογενομένου τοῦ τὴν τιμὴν ἔχοντος.

Pausaniae nomen affertur schol. Dialog. mort. I, 1; p. 251, 23: φησὶ δὲ Παιουσανίας, ὅτι κυπαρίσσων ἐστὶν ἄλσος πρὸ τῆς Κορίνθου, ἔπερ ὀνομάζεται Κράνειον. Incipit glossa Κράνειον] Κράνειον Ἡρωδιανός ἐν τῇ ιγ' καὶ διὰ τῆς εἰ etc. Veri specie carere non videtur scholiastam gl. usque ad Κρανεῖου e lexico aliquo sumpsisse, tum ipsum addidisse, quod Pausanias tradit II, 2⁴. Nam scholion ab Arētha scriptum videtur (cod. R) et archiepiscopum Pausaniam novisse constat, quoniam ipse eius libris paucas explicationes ascripsit¹⁾ (schol. Paus. VII, 21¹⁰; III, 222 Sp.).

De scholio Iov. trag. 21; p. 65, 13 (de Cercyone) supra (p. 43 sq.) diximus. Ceterum omnia scholia fabularia, quibus idem traditur atque a Pausania, tam exilia sunt, ut vix ea e Pausania fluxisse affirmes.

Schol. Dialog. mort. IX, 3; p. 255, 12 θηρία] ἡ θυγάτηρ τοῦ Λυκάονος Καλλίστω. ~ Paus. I, 25¹ et VIII, 3⁶, ubi Callisto in ursam mutatam esse traditur.

¹⁾ F. Spiro: „Ein Leser des Pausanias“ in Festschrift für Vahlen 1900; p. 131—138.

Schol. Dialog. deor. XVI, 2; p. 273, 11 ἐπαιάζοντα] Hyacinthi foliis primam nominis litteram impressam esse legimus. quod prodit Paus. I, 35⁴ et II, 35⁵.

De Endymionis et Lunae amore (schol. Icarom. 13; p. 103, 24) et Paus. V, 1⁴ et Apollod. I, 7⁵ verba faciunt.

Schol. Adv. ind. 12; p. 153, 10 Ὅρφεϊ παρά τῆς μητρὸς] Καλλιόπης γὰρ τῆς Μούσης μυθεύουσι γενέσθαι τοῦτον ~ Paus. IX, 30⁴: πάλλὰ μὲν δὴ καὶ ἄλλα πιστεύουσιν οὐκ ὄντα Ἑλληγες καὶ δὴ καὶ Ὅρφεα Καλλιόπης τε εἶναι Μούσης καὶ etc.

Priapum Lampsaci maxime cultum esse dicit scholiasta (Arethas, cod. B) ad Dialog. deor. III, 2; p. 269, 17. Idem legimus Paus. IX, 31², Strab. XIII, C 587 (Athen. 30b).

Schol. Bis acc. 10; p. 139, 7 καθομιμὸν κτλ.] Pana Atheniensibus in pugna Marathonica auxilio venisse narratur. ~ Paus. I, 28⁴.

Breviter dicam de schol. Fug. 9; p. 222, 12, in quo res est de nominibus septem sapientium. Eadem nomina etiam Paus. X, 24¹ nobis occurrunt (Plut. Conv. sept. sap.). Plato Protag. 343a pro Periandro Mysonem exhibet. E Diogene Laert. I, 1—7 nomina hausta non sunt neque e Stob. Florileg. III, 79, quod conicio e schol. Phal. I, 7; p. 5, 4, quod itidem Arethae vindico; nam dicta sapientium non concinunt cum iis, quae Diogenes et Stobaeus servaverunt (cf. Anthol. Palat. IX, 366). Aretham haec nomina memoria tenuisse existimo.

Duo scholia eidem loco ascripta (schol. Dialog. mar. V, 1; p. 265, 26 et p. 266, 5), quibus fabula de Arione narratur, ex Herodoto sumpta sunt (Herod. I, 24). Ab utroque scholiasta Herodotus laudatur.

Finem quaestionis, quae est de scholiis mythographicis, faciat de Alcmaeone schol. Deor. conc. 12; p. 212, 28. De hac re et Apollod. III, 7, 5¹ et Strab. X, C 462 similia produnt, sed multo melius congruit narratio Thucydidis II, 102⁵⁻⁶, etsi pauca discrepant. Quae scholiasta de Acheloo flumine dicit: θολερῶς γὰρ οὕτως ἀεὶ ῥέων καὶ πρὸς ταῖς Ἐχινάσι

νήσοις εἰς θάλασσαν ἐκδιδούς apud Thucydidem plane desunt. Haec ab Aretha, cui scholion attribuendum videtur, addi poterant, cum Patris natus sit (schol. Paus. VII, 21^o, III, 222 Sp.). In scholio mendum scholiastae inesse videmus. Omnibus enim in codicibus traditum est: *κατοικῆσαι τὴν Κατ-οινιάδα γῆν*; sed quid hoc sibi velit intellegi non potest. Corrigen- dum esse „*κατοικῆσαι τὴν κατ' Οἰνιάδα(ς) γῆν*“¹⁾ facile est intellectu, praesertim cum apud Thucydidem l. c. legamus: *κατοικισθεῖς ἐς τοὺς περὶ Οἰνιάδας τόπους*.

2. De scholiis historicis.

